CAPITA DE VERA

INVOCA

TIONE AD DISPV-

TANDVM PROPOSITA IN

ACADEMIA LIP-

SICA

AB

HENRICO SALMVT

DOCTORE THEOLOGIAE.

Ad IIII. diem Septemb.

IMPRESSA LIPSIAE

IN OFFICINA ERNESTI

VOEGELINI.

ANNO

M. D. LXII.

CAPITA.

DE VERA INVOCATIONE.

I.

CERTum est *inuocationem esse summum ac precipuum cultum* Dei, *& proprium opus uere Ecclesiæ.* Ideo enim colligitur ex genere humano Ecclesia, *ut* Deum *cognoscat sicut se in uerbo suo patefecit, eumq; inuocet ac celebret in hac uita, & in omni æternitate.* Et *huius summi operis causa etiam daturei spiritus sanctus, sicut* Zach. *inquit, effundam super domum* Dauid *spiritum gratiæ & precum.*

II.

Est *autem inuocatio* Dei, *uera fide aliquid petere a* Deo, *propter* Mediatorem *nostrum* Iesum Christum, *& postea gratias agere* Deo *& mediatori pro acceptis beneficijs, eumq; uero pectore laudare & celebrare autorem beneficiorum.*

III.

Ex *hac definitione constat, inuocationem complecti duo summa & maxima opera, uidelicet petitionem bonorum, & deinde gratiarum actionem.*

IIII.

Ac *fieri debet inuocatio, primum propter gloriam* Dei, *uult enim* Deus *hunc honorem sibi tribui, & postulat ut discamus agnoscere quis & qualis sit, quæ sit eius uoluntas, quod non sit inane nomen,*

non sit ignauus, aut ociosus Dominus, cui non sint curæ res humanæ, cui nihil sit negotij, seu familiaritatis, & conuersationis cum hominibus. Sed quod uere respiciat homines, eorum miserijs afficiatur & preces exaudiat.

V.

Deinde nostræ etiam utilitatis & necessitatis, seu indigentiæ causa fiat inuocatio. Singuli enim sumus assidue cincti, impliciti, & uelut immersi, difficultatibus, insidijs, miserijs, ac periculis humano consilio inextricabilibus, & in concursu multarum ærumnarum & calamitatum non possemus non frangi animis, imo perpetuis angoribus conficeremur, & opprimeremur desperatione, nisi proposita esset consolatio, Deum immensa bonitate exaudire preces inuocantium, & liberare nos ex periculis, difficultatibus, & multis ærumnis. Sicut affirmat in Psalmo 50. Inuoca me in die tribulationis & eripiam te.

VI.

Est autem discernenda inuocatio Ecclesiæ à Iudæorum, Mahometistarum, & aliarum impiarum gentium inuocatione. Nam Ethnici & omnes alij qui sunt extra ueram Ecclesiam, in inuocatione quidem retinent nomen Dei, sed uagantur animis ignorantes quis sit ille Deus quem alloquuntur, & quæ sit eius uoluntas, an preces exaudiat & cur exaudiat. Ecclesia autem dirigit mentem & inuocationem ad hunc uerum Deum, qui se patefecit misso suo

Filio

Domino nostro Iesu Christo, crucifixo, mortuo & resuscitato, & uera fide statuit, eum curare gemitum, exaudire ac recipere preces propter filium & mediatorem Christum.

VII.

Sed ut accedere ad Deum, eumq; inuocare audeamus. Primum cogitandum est mandatum Dei, quod nulli a nobis inuocari, quia nullum opus placet Deo, nisi quod ipse præcepit. Et nemo ad Deum accedere, tantamq; maiestatem compellare & alloqui auderet, nisi uellet ipse atq; iussisset hoc modo se coli, præsertim cum naturaliter omnium hominum corda dubitatione oppressa trepident, Deumq; fugiant in ueris doloribus.

VIII.

Proposuit itaq; Deus seuerissimum mandatum, ac præcepit inuocationem, ut dubitationes & trepidationes de nostra indignitate uincamus, & sciamus alacriter & confidenter nos ad ipsum accurrere & confugere, auxiliumq; in periculis petere & expectare ab eo debere, ut in Psal. 50. Inuoca me in die tribulationis & eripiam te. Et Matth. 7. Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Et Luc. 18. Dominus inquit, oportet semper orare & non defatigari.

IX.

Deinde ut crescat in nobis fides, & sine dubitatione statuere possimus, nostros gemitus, lacrimas, uota, clamores, & preces non esse irritas, neq; esse

inane murmur, quærendæ ac intuendæ sunt dulciſ-ſimæ & ampliſsimæ promiſsiones, in quibus patefe-cit Deus ſuam uoluntatem; ac ſancte iurat ſe uelle nos exaudire, nobis opitulari & liberare nos ex mi-ſerijs & ærumnis. Et *ſunt promiſsiones expreſſe his uerbis.* Amen Amen *dico uobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.* Et Matth. 7. Petite & *accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis.*

X.

Et *ſunt nobis propoſitæ in uerbo duplices pro-miſsiones, de reb. ſcilicet ſpiritualibus et corporalibus.*

XI.

Initio *nobis proponamus primam & ſummam promiſsionem uidelicet gratiæ, ſeu reconciliationis, & uitæ æternæ, gratis dandæ propter mediatorem Chriſtum. Ac ſciamus mandatum Dei eſſe ut in uera conuerſione ſeu pœnitentia, primum & petamus & fide accipiamus ſummum bonum, remiſsionem pec-catorum, & reconciliationem ſeu acceptationem ad uitam æternam promiſſam propter Chriſtum. Hanc ſtatuamus certo donari nobis accedentibus ad Deum fiducia Chriſti Mediatoris. Iuxta dictum Ezech. 33. Viuo ego nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat.* Matth. 11. Venite *ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam uos.* Neq; *poſſunt alia beneficia ſeu bona peti niſi prælucente promiſ-ſione gratiæ.*

XII.

Poſtea

postea considerentur promissiones de bonis corporalibus, quæ propterea traditæ sunt, ut sciamus a Deo petenda & expectanda esse bona, ad huius uitæ conseruationem necessaria, & preces eas non esse irritas, sed semper impetrare aliqua bona, imo certo impetrare uel liberationem uel mitigationem corporalium ærumnarum, ac Deo curæ esse Ecclesiam, etiamsi alia membra aliter exercet. Quia enim Deus uoce Euangelij semper colligit Ecclesiam in hac uita, etiam largitur ei bona corporalia, incolumitatem corporis, domicilia, politias, pacem, uictum, bonos successus in laboribus, & alia multa bona suppeditat, sine quibus uita hominum conseruari non potest. Sic Christus inquit, primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia adijcientur uobis.

XIII.

Et cum ideo traditæ sint promissiones ut in inuocatione fides accendatur, sciendum est oportere uniuersaliter in omni precatione prælucere hanc fidem, quæ intueatur Christum mediatorem, et fiducia huius summi pontificis accedat ad Deum, & statuat propter eum recipi & exaudiri preces ut Ephes. 3. dicitur, per quem audemus accedere cum fiducia per fidem in ipsum.

XIIII.

Est enim inane murmur et Ethnica impietas, neq; dici debet inuocatio, si cõsuetudine quadã tantũ recitentur uerba, et interea mens dubitet, an sit Deo curæ, an placeãt et uere recipiantur preces. Quare necesse est

promissionem atq; filium Dei Mediatorem fide intueri, & repugnare diffidentiæ & dubitationi, iuxta dictum Iacobi, petat in fide nihil hæsitans. Et 1. Timoth. 2. dicitur, orate sine ira & hæsitatione.

XV.

Ac propterea filius Dei constitutus est Mediator & deprecator, ut fide ad eum confugiamus, & propter eius intercessionem nos recipi & exaudiri petamus atq; credamus, sicut ad Heb. 4. dicitur, Habentes pontificem Iesum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Et horrendus contemtus est filij Dei, relinquere eum ociosum.

XVI.

Neq; impediat nos indignitas nostra, & quod scriptum est, Deus peccatores non exaudit, quæ sententia de impœnitentibus, & perseuerantibus in delictis contra conscientiam intelligenda est. Sed agentes pœnitentiam, hoc est uera contritione agnoscentes peccata, & indignitatem suam, & expauescentes sciant, immutabile Dei mandatum esse, ut fiducia Mediatoris inuocent, et propter eum se recipi, & preces exaudiri credant, proferente Christo sacerdote preces in sancta sanctorum.

XVII.

Et eam ob causam in fine precationis particula Amen, clausulæ seu appendicis loco solet adiungi, ut commonefaciat precantem de certitudine seu πληροφορίᾳ fidei & firmitate assensionis. Est enim asseueratio perinde ac si dicas, Hæc ipsa ueritas eam

petit,

probet, sine, haec uerissime de certo fiant.

XVIII.

Quando autem ad Deum accedimus & oramus, semper exprimantur aliquae res necessariae nobis, Ecclesiae, reipublicae, nostris familijs, & alijs pro quibus petimus. Et non sit precatio inanis βαττολογία, ut Ethnico more propter consuetudinem, inani labiorum motu uocumq; strepitu & linguae uolubilitate, recitentur prolixae preces, & superstitiose sine fine iterentur, quemadmodum sacrificuli & monachi recitant horas canonicas, cum immodice prolixas, tum ne ab ipsis quidem intellectas.

XIX.

Et sunt petendae res a Deo, quae non sunt prohibitae eius mandatis, sicut Iohan. inquit. Quicquid petieritis secundum uoluntatem eius dabit uobis. Non petat Saul tolli Dauidem, Non petat Dauid interfici Uriam, sed petant res necessarias, quarum petitio congruit cum decalogo, & cum diuinis promissionibus.

XX.

Ordo rerum petendarum talis est. Primum petamus spiritualia bona, remissionem peccatorum & reconciliationem, & cum his bonis lucem spiritus sancti, accendentem & confirmantem in nobis agnitionem Dei, fidem, timorem, tollerantiam, dilectionem, inuocationem castitatem, &c. Secundo loco petamus & bona corporalia, communia & priuata, pacem earum regionum quae Ecclesijs &

pijs ſtudijs hoſpitium præbent, bonam ualetudinem, uictum, ſucceſſus in adminiſtratione politica, & œconomica, & c.

XXI.

Neq; audiendi ſunt qui negant corporalia bona a Deo petenda eſſe, quia Deus prohibeat ſollicitudinem de craſtino, de uictu, cibo, potu, defenſione, & alijs uitæ commodis, ac uelit nos eſſe paratos ad ferendam paupertatem, & alias huius uitæ ærumnas.

XXII.

Nominatim enim & expreſſe editæ ſunt promiſſiones de rebus corporalibus, & mandatum eſt, ut eas petamus propter quatuor grauiſſimas cauſas. PRIMA eſt, ut ſciat & credat Eccleſia Deum uere eſſe conditorem, autorem, datorem & conſeruatorem corporalium beneficiorum. Nec humana diligentia ſolum uel parari uel augeri & retineri ea poſſe, ſine uoluntate, ope, & gubernatione Dei. SECVNDA eſt, ut Eccleſia oppreſſa cruce firmam habeat conſolationem, Deum daturum etiam bona ad huius uitæ conſeruationem neceſſaria, quia enim uult ſibi colligere ex genere humano Eccleſiam uſq; ad finem mundi, etiam ſuppeditabit bona corporalia, ut politias, uictum, ualetudinem bonam, defenſionem, pacem, & alia multa bona, quibus hæc uita carere non poteſt. TERTIA cauſa eſt, ut fides & inuocatio exuſcitentur, & exerceantur in quotidiana neceſſitate, & petitione corporalium bonorum. QVARTA cauſa, ut bonorum corporalium petitio ſit

communo-

commonefactio de summa, præcipua & æterna promissione gratiæ seu reconciliationis & salutis æternæ, propter Mediatorem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum.

XXIII.

In petitione æternorũ bonorũ ut reconciliationis, salutis, et gubernationis animæ, firmißime statuendũ est, Dominum hæc ipsa bona, quæ sine conditione nominatim & in specie petimus certo daturum esse.

XXIIII.

Sed de bonis corporalibus in hac uita necessarijs, fides petat & statuat cum conditione, si Deo placet, si salus nostra & gloria Dei non impediatur. Vult enim ut præstemus ei obœdientiam in cruce & ærumnis; ideò nostram uoluntatem Deo subijciamus, sicut leprosus orat, Domine si uis poteris me mundare. Et hæc precatio quæ fit cũ conditione non est irrita, sed efficax, & uel hoc ipsum qd' nominatim petitur impetrat, uel certe mitigationem calamitatũ et miseriarũ.

XXV.

Et cum Deus non det euentus mox, & ijs modis, quos cogitat humana ratio, non est nostrum præscribere Deo modum & tempus, sed hæc ipsius consilio commendanda sunt, ut oculi nostri interim non res ac euentus, sed Deũ intueantur. Vult enim nos exercere ut fide ab ipso pendeamus & accendamur ad inuocationem, & non regamur nostris opinionib. Sic Iudith obiurgat ciues qui dies quinq; Deo præfinierant. Qui uos estis, inquit, qui tentatis Dominum,

posuistis

posuistis tempus miserationis Domino. Huc pertinet *dictum* Iosaphat 2. Paralip. 20. *Cum nesciamus quid agendum sit, oculi nostri respiciunt ad te* Deus noster.

XXVI.

Antea dictum est, inuocationem etiam completti gratiarum actionem, quæ necessario petitionem sequi debet.

XXVII.

Est autem gratiarum actio erga Deum *tale opus, quo profitemur accepta esse ab eo præsente & opitulatore beneficia, & obligamus nos ad officia ipsi grata.*

XXVIII.

Multiplicia autem bona Deus *immensa bonitate nobis largitur spiritualia & corporalia. Misit enim nobis unigenitum filium suum saluatorem, patefecit doctrinam salutarem, remittit peccata, dat spiritum sanctum, & uitam æternam. Et corporalia dat bona, uitam, cibum, potum, bonam valetudinem, uictum, pacem, &c.*

XXIX.

Hæc & alia multa bona, uult nos agnoscere ab eo data esse, & dari quotidie, ac conseruari, & pro his uera gratiarum actione uult celebrari. Quemadmodum enim petitionem in inuocatione postulat, ut agnoscamus esse Deum, *& esse omnipotentem, præsentem & opitulatorem, ut in tali agnitione se nobis communicet. Ita gratiarum actionem postulat,*

la, ut perseueret hæc uera agnitio, ut deinceps etiam ipse nobis communicet, & ipse pro exhibitis bonis laudetur ac celebretur.

XXX.

Ita cum Deus *adiuuat* Dauidem *præliantem cum* Goliath, *& eum postea eripuit seuitiæ* Saulis, *ipse gratus lingua & corde consonantibus, affirmare ac profiteri debet, quod sit* Deus, *quod exaudiat gemitus & preces, quod ipsius bonitate, præsentia, & auxilio tectus & munitus, uictoriam consecutus, & inter multiplicia pericula conseruatus sit.*

XXXI.

Et hanc confessionem Deus *etiam requirit, ut refutentur* Epicurei *furores, quod opinantur homines, ea non contingere bona, neq; dari a* Deo, *quia horrenda est impietas cogitare uel dicere,* Deum *negligere suam creaturam.*

XXXII.

Ideo plerunq; coniuncta sunt præcepta de petitione & gratiarum actione, quia utraq; necessaria est ad agnitionem Dei, Psal. 50. *Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te & glorificabis me.* 1. Thes. 4. *Incessanter orate, in omnibus gratias agite.* 1. Timoth. 2. *Adhortor primum omnium ut fiant deprecationes, uota seu petitiones, interpellationes pro aliis, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*

XXXIII.

Et in eodem Psalmo *dicitur. Hæc esse sacrificia spiritualia, & esse præcipuos cultus, nec posse nos tribue-*

tribuere Deo quicquam aliud, præter hos ſummos honores, uidelicet inuocationem, & gratiarum actionem. Immola Deo ſacrificium laudis & redde altiſſimo uota tua, Pſal. 115. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Malach. 1. Non eſt mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus exercituum, & non accipiam munus de manu ueſtra, ab ortu enim ſolis uſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, &c.

XXXIIII.

Deinde poſtulatur etiam exempli cauſa gratiarum actio, quia Deus a multis agnoſci, & celebrari ſe magis poſtulat, & cum multi celebrant acceptum beneficium, exemplum fit illuſtrius, & plures alij inuitantur ad inuocationem, timorem & fidem, ideo Paulus dulciſsime hortatur, ut multi pro ſe orent, quo plures poſtea pro accepto beneficio gratias agant. 2. Corin. 1.

XXXV.

Ingens autem labor eſt pijs mentibus etiam poſt acceptum beneficium retinere hanc ſententiam, uere nos a Deo adiutos & ſeruatos eſſe. Ac uulgare uitium eſt ingratitudo, quod homines oppreſſi malis ardenter quidem inuocant Deum, & petunt auxilium & liberationem. Sed cum liberati ſunt & acceperunt bona, prorſus obliuiſcuntur Dei & acceptorum beneficiorum, uel exiſtimant caſu oblata eſſe bona, aut parta eſſe propria ſapientia & induſtria.

Ideo

Deo semper in conspectu teneamus sententias, quæ nos confirment, ut agnoscamus nos a Deo adiutos esse, Vt Psal. 34. Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Psal. 116. Dirupisti uincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis. Et Psal. 27. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

XXXVI.

Et quemadmodum Deus sese communicat, & cumulat bona his, qui sunt grati, eiusq; præsentiam & auxilium cognoscunt. Ita cum extinguitur agnitio Dei in ingratis, tunc desinit Deus se eis communicare, & regulariter eos punit. Sicut Salomon constituit generalem regulam de omnibus ingratis Prouerb. 17. Non recedet malum a domo ingrati. In eandem sententiam loquitur Deus Hos. 2. Non memimerunt quod ego dedi eis frumentum, uinum & oleum, quod argento & auro locupletaui eos, idcirco rursus auferam ipsis mea dona, meum frumentum & linum, &c. & in omnium conspectu stultitiam eorum reuelabo & manifestabo. Et conuincimur experientia atq; historiarum testimonijs ingratos urgeri a Deo iustißimis & horrendis pœnis.

Aeternus & misericors DEVS, pater Domini & seruatoris nostri IESV CHRISTI, accendat, illuminet, ac regat corda nostra Spiritu sancto suo, ut hanc necessariam doctrinam exerceamus

verum in quotidiana vita, & omnibus negotiis.
Et hunc solum verum ipsum misericordem Deum
vera fide in omni necessitate invocemus, &
vera gratiarum actione in omni
æternitate celebremus.
AMEN.

De Discrimine VETERIS ET NOVI TESTAMENTI DISPVTATIO.

Proposita in Celebri Academia Lipsensi

A

Petro Helborn
S. Theologiæ
Doctore.

Ad diem 22. Februarij.

LIPSIÆ
IOHANNES RHAMBA
EXCVDEBAT

M D. LXVI.

De Discrimine

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

DISPVTATIO

Proposita in Celebri Academia Lipsensi

A

Petro Helborn

S. Theologiæ Doctore.

Ad diem 27. Februarij.

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA

EXCVDEBAT.

M. D. LXVI.

QVÆSTIO.

Vtrum

CVm omnibus temporibus inde usq; à creatione hominis, & edita promissione post lapsum Adæ, una fuerit Ecclesia, & una doctrina comprehensa uno uolumine, & unis his capitibus, Lege uidelicet & Euangelio, quibus patefecit se Deus ab initio, & iram suam aduersus peccata, & misericordiam erga conuersos declarauit.

Recte quæratur, Quid propriè nominetur uetus Testamentum, Quid Nouum, & quod utriusq; sit discrimen.

PROPOSITIO I.

INgens & maximum est beneficium DEI, *quod statim post tristissimum lapsum primorum parentum, prodiens ex arcana sede sua patefecit se orbi terrarum, & tradidit certam doctrinam & promissionem æternæ salutis.*

II.

Hanc doctrinam primum ipse filius Dei *ex sinu æterni patris protulit, & ab initio semper cum*

patribus locutus est, ijsq; uoluntatem patris erga genus humanum ostendit.

III.

Postea eandem doctrinam Prophetæ à Patribus quasi per manus acceptam, non tantum uiua uoce Ecclesiæ tradiderunt, sed eam quoq; literis mandarunt, ut non tam suæ ætati, quam etiam posteritati seruirent.

IIII.

His postea quoq; adiecta sunt scripta Apostolica, ita ut in unum uolumen seu librum redacta sit ea doctrina, quæ pijs Ecclesijs necessario tradita est hinc inde à condito mundo, usq; ad exædificationem Ecclesiæ post ipsa tempora Apostolorum.

V.

Hic liber est unicus thesaurus, qui in terris mansurus est. Docet enim quomodo cognoscendus sit Deus, isq; colendus & inuocandus, testatur de uita æterna, perhibet etiam firmissimum testimonium, quod hæc doctrina sit uera, & ab ipso Deo statim ab initio tradita.

VI.

Et peculiaris ac honorifica hæc est Ecclesiæ Dei laus & sapientia, quod hæc sola firmam habet doctrinam de uera agnitione Dei, & certam historiam de mundi exordio, eamq; perpetuo contextem, ut certissime initia & progressiones religionis nostræ habere possimus. Ita ut longe sit alia ratio nostræ religionis, quam Ethnicarum, quæ pe[illegible]

irrepserunt, & de quarum origine sumus incerti, et quæ nihil aliud nisi uanam superstitionem docent.

VII.

Hinc recte uniuersum corpus doctrinæ à Christo, Prophetis & Apostolis traditæ, dictum est מכתב הקדוש Scriptura sancta h.e. separata ab omnibus alijs prophanis scriptis. In illa enim nihil quod sit uel prophanum, uel monstrosum, uel erroneum docetur, sed omnia sunt sancta, à Spiritu sancto inspirata, à sanctis hominibus conscripta, & ad sanctum Deum ducentia.

VIII.

Eadem ratione uidentur & Græci Scripturam sacram, per excellentiam, Bibliorum nomine, quod Latinis libros significat, appellauisse.

IX.

Hi uero libri seu Biblia etiam uetus & nouum Testamentum nominantur, eò quod uoluntatis Dei quasi testimonium quoddam existant.

X.

Vox autem Testamenti, quod Hebræis ברית dicitur, & Aquila: teste Hieronimo: συνθήκην, Septuaginta uero semper διαθήκην interpretati sunt, usu Scripturæ uarie usurpatur. Nam alias significat extremam uoluntatem hominis morituri pro arbitrio constituentis, quid post eius mortem cum relictis suis facultatibus fieri uelit, & quibus hæredibus eæ cedere debeant.

XI.

Alias significat conuentum, conditionem, promissionem, pactum seu fœdus, quo inter Deum & hominem conuenitur, ut sicut Deus homini aliquid promittit, ita homo uicissim Deo promittenti fiducia promissionis innititur, fidemq; suam testimonio fœderis, alit & confirmat, ut Gen. 17.

XII.

Nonnunquam Testamentum ponitur pro externo Testamenti uel promissionis signo, ut Actor. 7. Et dedit illi testamentum Circumcisionis. Plerisq; etiam locis Scripturarum pro doctrina & præcepto accipitur, ut Iosuæ 7. Peccauit populus & transgressus est testamentum meum.

XIII.

Cum autem duo sint Testamenta, rectè quæritur quæ in utroq; sit differentia. Statuendum igitur est, idem propemodum esse discrimen quod est Legis et Euangelij.

XIIII.

Nam ad nouum Testamentum, in quo Deus reconciliationem & nouam uitam promittit, omnes promissiones Euangelicæ & cœlestes, ubicunq; extant, referuntur. Contra uero legales promissiones, quibus se patribus obstrinxit, imò totus populus legi naturæ obstrictus est, præterea omnes promissiones de certa sede & alijs bonis corporalibus, uetus Testamentum dicuntur.

XV. Vetus

XV.

Vetus igitur testamentum proprijssime est pactum, quo populus Israel obligatus est ad formam Mosaicæ politiæ, quæ tota politia ideo instituta erat, ut in ea conseruaretur & propagaretur promissio de uenturo Messia, propter quam & in hoc populo erat uera Electorum Ecclesia.

XVI.

Et hoc, Testamenti nomine, dictum est, eò quod fœdus erat sancitum sanguine & morte, non quidem filij Dei, sed taurorum, hircorum & agnorum, qui ad hoc testamentum confirmandum mactabantur & offerebantur, & populus aspersus sanguine illorum purificabatur & sanctificabatur tantum corporaliter, ut possent esse socij & ciues illius politiæ & Ecclesiæ.

XVII.

Vetus uero ideo appellatum, quia tantum ad ueteris populi pædagogiam pertinuit usq; ad Christum, post cuius aduentum politica & Sacerdotalis administratio antiquari & abrogari debuit.

XVIII.

Institutum autem erat uetus Testamentum propter has caussas. Primo, ut esset commonefactio de nouo spirituali & æterno Testamento, in quo sanguis filij Dei esset effundendus, non tantum ad carnis, sed etiam spiritus purificationem sanctificandam, & ad tollenda peccata totius mundi.

XIX.

Secundo, ut esset Pædagogus in Christum, & nos ad nouum Testamẽtum duceret ac præpararet, et ostenderet illa sacrificia non tollere peccata, nec placare iram Dei, sed uenturam tandem certo tempore hostiam, quæ persolueret λύτρον pro peccatis, sicuti Baptista quoq; clamat: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.

XX.

Tertio, ut sciretur ex quo populo Messias, promissus generis humani redemptor, expectandus esset.

XXI.

Quarto, ut promissiones de Messia editæ in hoc populo conseruarẽtur. Et ideo Deus subinde excitauit Prophetas, qui doctrinam de promissionibus obscuratam rursus instaurarent.

XXII.

Nouum uero Testamentum est promissio Euangelij, in quo offeruntur æterna bona, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiæ & uitæ æternæ, quæ propter Messiam gratis exhibentur omnibus credentibus in filium Dei.

XXIII.

Hoc Testamentum quidem dicitur eo, quod sanguine & morte filij Dei sancitum & confirmatum est.

Appella-

XXIIII.

Appellatur autem nouum, cum quia ueteri suc-
cessit, tum quia ad nouum hominem & regenera-
tum pertinet, estq; nouæ cuiusdam iusticiæ & uitæ
æternæ testimonium.

XXV.

Nam promißio uetus, erat de externa politia
per Mosen instituta, conseruanda sub ista conditio-
ne. Si audieris uocem Domini Dei tui, ut facias &
custodias omnia mandata eius &c.

XXVI.

Sed Euangelium noua promißio est, & gratui-
ta sine conditione facti aut implendæ legis, in qua
etiam indignis, propter filium Dei offeruntur, non
corporalia tantum, sed et spiritualia et æterna bo-
na, nempe remißio peccatorum, reconciliatio, im-
putatio iusticiæ, donatio Spiritus sancti & uitæ æ-
ternæ.

XXVII.

Nouum enim Testamentum non est litera, res
mortua, externa & corporalis, alligata certo loco,
populo, templo, sacerdotio, & certis cultibus exter-
nis, qualis Mosi politia & Lex, seu uetus Testamen-
tum fuit, neq; enim talia liberant à peccatis & sen-
su iræ Dei, sed est ministerium Spiritus quo uiuifi-
cantur corda, & conscientiæ accipiunt pacem &
leticiam in Deo.

XXVIII.

Sic enim Paulus discernit utrumq; testamentum, 2. Corinth. 3. Vbi uetus uocat literam & ministerium mortis, .i. legem accusantem & damnantem homines. Nouum autem uocat ministerium Spiritus, .i. prædicationem Euangelij, per quam Spiritus Sanctus in cordibus accendit nouam lucem, iustitiam & uitam.

XXIX.

Dicitur igitur nouum Testamentum præcipuè ab effectu, quia nouum hominem & nouam creaturam facit, in qua non Lex, uetus testamentum, sed Christus cum noua promissione per Spiritum sanctum uiuificantem uiuit, sicut inquit Paulus Gal. 2. Viuo non iam ego, sed uiuit in me Christus &c.

XXX.

Et Hiere. 31. Ecce, dies uenient dicit Dominus, et consumabo super domum Israel, et super domum Iuda, testamentum nouum, non iuxta testamentum, quod feci patribus illorum. &c. Per hoc enim quod dicit nouum, antiquauit prius, ut inquit autor Epistolæ ad Hebræos. Cap. 8.

XXXI.

Et 2. Cor. 5. Si quis est in Christo, noua Creatura est, uetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Item Gal. 6. In Christo Iesu neq; circumcisio quicquã ualet, neq; præputium, sed noua Creatura.

XXXII.

XXXII.

Totam etiam doctrinam de discrimine utriusq; Testamenti splendidissime illustrat Paulus ad Gal. 4. Vbi per allegoriam accommodat duas conjugas Abrahæ ad duo testamenta.

XXXIII.

Vt enim Agar ancilla gignit seruum Ismaëlem eiectus è domo herili, non uenit in societatem bonorum Abrahæ. Sara autem quæ est libera iuxta promissionem, gignit Isaac hæredem Abrahæ, qui perpetuò manet in familia, nec unquam pellitur de possessione sua. Ita Lex facit seruos peccati, & mortis, & nequaquam liberat homines à tristissimis malis, quibus premitur uetus natura. Euangelium uero liberat à peccato, ira Dei, & morte, & restituit nos in pristinam libertatem & dignitatem, donans nobis nouam & æternam lucem, sapientiam, iusticiam, uitam, lætitiam, & omnia bona, quæ filius Dei testator nobis legauit, & suo sanguine & morte obsignauit.

XXXIIII.

Ex his, quæ hactenus recensuimus, non obscurè intelligitur, quæ sit differentia, & etiam congruentia utriusq; Testamenti. Nam si quis diligentius conferat Scripturam ueterem Legis & Prophetarum cum scriptis Euangelistarum & Apostolorum, omnino apparebit utriusq; communem esse autorem

autorem Deum, & utrumq; respicere in eundem scopum, scilicet Messiam generis humani redemptorem, & in utroq; eadem tradi præcepta, Legem & Euangelium, ac etiam monstrari eandem uiam ad salutem, per fidem in semen benedictum, qui est Iesus Christus.

XXXV.

Sic enim scriptum est Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum acceptura sit per nomen eius quisquis crediderit in nomen eius. Et Cap. 15. Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, quemadmodum & patres.

XXXVI.

Deinde non difficile est animaduertere, quæ utriusq; sint differentiæ. Primo differunt tempore. Nam ueteris testamenti tempus extendebatur usq; Christi usq; aduentum, & natum filium Dei in carne, ut dicitur Matth. 11. Lex & Prophetæ usq; ad Iohannem: Nouum uero Testamentum cum Christo exhibito declaratum est, et cum illo in æternum durat, ut Lucæ 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

XXXVII.

Secundo discernuntur ex circumstantia loci. In ueteri Testamento Ecclesia quasi angustis metis terræ

re Canaan inclusa erat, ut scribitur Psal. 76. tus in Iudea Deus, & in Israel magnum nomen . In Nouo uero propagatur doctrina Euange- in totum orbem terrarum. Vt Psal: 19. In om- n terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis re uerba eorum.

XXXVIII.

Tertio differunt, quod uetus Testamentum con- erat pro certo populo, qui sumebatur ex stir- Abrahæ. Vt Genes: 18. Ero Deus tuus & semi- tui post te. Nouum uero etiam ad gentes & uni- rsum fidei semen spectat. ut Psal: 72. Procident am illi omnes reges, omnes gentes seruient ei.

XXXIX.

Quartum discrimen est ex respectu fidei. In ue- teri Testamento, fides in uenturum Christum intue batur, In nouo uero ad exhibitum fertur, Vt 1. Pe- ri 1. De qua salute exquisierunt & scrutati sunt rophetæ, qui de uentura in nos gratia uaticinati sunt.

XL.

Quinta differentia sumitur à dignitate Sacri- ficiorum. In ueteri Testamento, uulgares et corrup tibiles uictimæ cædebantur. In nouo autem, est sin- gularis, noua & unica, ac nunquam iteranda uictima, scilicet Christus in eo exhibitus & oblatus, ut inquit Epistola ad Hebræos 9. At Christus acce-

dens

dens pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, nec per sanguinem hircorum & uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta æterna redemptione reperta. Et 2. Cor. 3. Etenim si id quod aboletur, fuit in gloria, multo magis id quod manet est in gloria.

XLI.

Sexto differunt quoq; subiecto. In ueteri testamento uetus natura premitur iudicio legis, & coërcenda est disciplina Legis, iuxta seueriſsimam sententiam. Deut. 27. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis. In nouo autem formatur noua Creatura, & incoatur noua iustitia & uita, quæ bona integrè exhibebuntur post resurrectionem.

XLII.

Septimo externorum bonorum promissiones partim conueniunt, partim differunt. Israelitis enim externum regnum & certa sedes promittebatur, nobis autem non promittitur, attestante Christo, Matth. 8. Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet ubi caput reclinet.

XLIII.

Conueniunt autem in hoc. Nam sicut in Politia Israel Deus pacem, & alia uitæ commoda promisit populo,

populo, si obediret. Ita Ecclesia quanquam est coetus dispersus, nec habet certum imperiū aut certam sedem: tamen quia huic uitæ opus est uictu & hospitio, promissiones habet non de certa sede, sed de hospitijs & uictu in genere, iuxta dictum Christi, Quærite primum regnum Dei, & cætera adijcientur uobis.

XLIIII.

Octauo differunt diuturnitatis uel durationis modo. Nam uetus Testamentum per Nouum est antiquatum & sublatum. At noui Testamenti constitutio est postrema, nec ei ulla alia ministerialis institutio succedet, sicut hoc uenustimè ostendit Allegoria Columbæ emissæ ex arca Noë, quæ primum circa uesperam reuertitur, gestans in ore ramum oliuæ, quo significatur Euangelij uerbum fore postremum, quod mundo patefacturus sit Deus.

FINIS.

FINIS.

DE SACRIFICIIS ECCLESIAE CHRISTI:

Capita ad disputandum proposita in Academia Lipsica ab

HENRICO SALMVT D.
Pastore Ecclesiæ ad
S. Thomam.

Ad XII. diem Iulij.
Anno Iesu Christi

M. D. LXVI.

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA
EXCVDEBAT.

DE SACRIFICIIS ECCLESIAE CHRISTI.

PRodest multis de caussis recte tenere totam Sacrificiorum descriptionem, quia nulla maior consolatio perterrefactis conscientijs contingere potest, quam quæ ex applicatione sacrificij Christi accipitur, & nulla est maior laus operum, quam cum vocantur sacrificia, nulla maior laus hominum, quam quod sumus sacerdotes, & dicimur Deo sacrificare. Ideo doctrinam de Sacrificijs breuiter repetemus.

I.

Sacrificium est opus à Deo mandatum quod nos Deo reddimus, vt ipsum honore afficiamus, hoc est, vt testemur hunc Deum quem nos inuocamus, vere esse Deum, conditorem omnium rerum, & recipientem, exaudientem, & saluantem nos. Ac deberi ei hanc obedientiam, vt inuitemus alios hoc testimonio, & vt hunc Deum agnoscant, inuocent, & ei obediant.

II.

Sunt autem duæ tantum præcipuæ species sacrificij, Propiciatorium & Eucharisticon. Propi-

cta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem siue quæ in terra sunt siue quæ in cœlis.

VII.

Hoc Sacrificium & est unius Christi opus, & soli Ecclesiæ ipsius applicatur, sicut Iohan. 17. inquit: Ego pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, Non pro eis tantum rogo, sed & pro his qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Quia non solum merito tollit peccatum, quod sua obedientia satisfecit iusticiæ Dei, & placauit iram patris, sed etiam efficacia remittens peccata & imputans iusticiam.

VIII.

Et efficax est hæc Christi oblatio semel in cruce facta in omni æternitate, sicut ad Heb. 9. dicitur, Christum per suum sanguinem ingressum esse in sancta, & æternam inuenisse redemtionem. Et cap. 7. At hic quod idem maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium: vnde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum,

semper viuens, ad hoc vt interpellet pro illis.

IX.

Donatur autem hoc Christi sacrificium, & communicatur nobis per Euangelium, in quo Deus testificatur remitti peccata agentibus pœnitentiam, gratis, propter Christum passum, mortuum & resuscitatum, promittitur auxilium Dei in tollendo toto regno peccati, & restituenda iustitia & vita æterna.

X.

Ac fieri debet applicatio huius sacrificij fide, quæ statuat, hanc solam hostiam placasse iram Dei, & esse satisfactionem pro nobis, quodq; propter hoc Christi sacrificium, non propter ulla nostra opera, satisfactiones, aut sacrificia, Deus certo nobis sit propicius, certo velit exaudire & saluare. In hanc hostiam intueatur fides in petenda remissione peccatorum, in veris pauoribus, & in omni Inuocatione hoc sacrificium Deo proponi debet, & per hunc filium Dei tanquam vnicum Mediatorem ad

Deum accedendum est. De hac applicatione dicit Paulus Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus fide, in gratiam hanc in qua stamus & gloriamur. Et Heb. 4. Talem habentes Pontificem cum fiducia accedamus ad thronum gratiæ, vt misericordiam accipiamus.

XI.

Ex iam dictis manifestum est, Vnicum esse vere propiciatorium sacrificium, quod alijs coram Deo mereatur remissionem peccatorum, scilicet mortem Christi, cum tota eius obedientia.

XII.

Dicebantur autem quædam Leuiticæ cæremoniæ propiciatoria sacrificia, non quod mererentur remissionem peccatorum coram Deo, sed quia significabant futurum Christi Sacrificium. Deinde propter similitudinem quandam propiciatorij sacrificij, quia merebantur remissiõem peccatorum coram homini-

hominibus in externa conuersatione, hoc est, ne illi, qui deliquerant, excluderentur ex politia Mosis.

XIII.

Quod autem Leuitica sacrificia nõ merebantur remissionem peccatorum, clare testatur Epistola ad Heb. Impossibile est sanguine taurorum & hircorum tolli peccata. Et Esaias inquit, Quia ponet animam suam hostiam pro peccato uidebit semen longæuum. Hoc breui dicto fatetur Propheta, hostijs Leuiticis non esse abolitum peccatum, sed restare hanc vnam hostiam quæ aboliturra erat peccatum. Eadem est sententia dicti Iohannis: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Cæteræ victimæ nec missæ sunt à Deo, nec ad abolendum peccatum consecratæ, nec per se placentes Deo, sed fuerunt typi & vmbræ, ac res destinatæ ad pascendos sacerdotes. At hic agnus a Deo missus & consecratus est ad abolendum peccatum.

XIIII.

Ideo sancti fide tenentes promissiones de filio Dei, intelligebant hanc unam esse veram victimam propositam a Deo, vt satisfaceret pro peccato, & tolleret iram Dei, Postea vtebantur illis ritibus tanquam signis, quibus admoniti promissionum de Christo, excitabant fidem, credentes vere ad se pertinere promissiones propositas, & se vere consequi beneficia promissa propter venturum liberatorem.

XV.

Et Prophetæ acriter reprehendebant errorem Hypocritarum, qui fingebant Sacrificia & alias cæremonias mereri remissionem peccatorum, & omnia bona, etiam ex opere operato, sine fide & bono motu cordis, Atq; hac opinione cumulabant sacrificia, ac fingebant nouos cultus. Psal. 50. Mich. 4. Esaiæ 1. Ierem. 7.

XVI.

Sicut etiam Ecclesiam post tempora Apostolorum tenebræ obruerunt, &

doctrina

doctrina de sacrificio Christi, & de fide sibi illud applicante, obscurata fuit, ac receptæ sunt stultæ satisfactiones pro peccatis, excogitati Monachatus, & castigationes quædam ac uaria opera, quæ iudicabant esse sacrificia pro peccatis, id est, mereri remissionem peccatorum.

XVII.

Hi errores taxandi sunt, quia obscurant meritum Christi, & veram consolationem eripiunt perterrefactis conscientijs, Ac vera fide statuendum est: Christum obtulisse seipsum immaculatum Deo, & hac vnica oblatione perfectos reddidisse in perpetuum eos qui sanctificantur. Heb. 9. & 10.

XVIII.

Εὐχαριστικὸν sacrificium est opus mandatum a Deo, quod non meretur remissionem peccatorum aut reconciliationem, sed fit a reconciliatis, vera fide, vt pro accepta remissione peccatorum, & pro alijs beneficijs DEO gratias agamus,

mus, & gratiam aliquam referamus hac nostra obedientia, quod etiam Deo gratum est propter Mediatorem.

XIX.

Hæc species sacrificij complectitur omnia opera & cultus, qui habent mandatum Dei, & fiunt a pijs, vt sunt Fides, Inuocatio, confessio, gratiarum actio, afflictiones sanctorum, Denique vniuersa vita Christiana est perpetuum sacrificium εὐχαριστικὸν, in qua lucere & conspici debet agnitio Dei, & obedientia erga Deum, & perpetua celebratio beneficiorum Dei.

XX.

Alia autem opera quæ fiunt sine mandato Dei, non sunt sacrificia, aut per se cultus Dei, iuxta illud, Frustra me colunt mandatis hominum.

XXI.

Ac tum primum hoc sacrificium vere præstatur, & Deo placet, postquam Christi sacrificium pij fide apprehenderunt, & statuunt se receptos esse

a Deo

a Deo propter victimam Christum, & placere etiam illam obedientiam propter eundem Mediatorem & Pontificem interpellantem pro nobis

XXII.

Nec approbat Deus externa opera sine fide, seu cultu mentis, sicut in Esaia dicitur: Populus ille me labijs honorat, cor autem eius longe est a me. Sed requirit talia sacrificia in quibus ipse agnoscitur, inuocatur, prædicatur, & in quibus ipsi obedientia præstatur. Ideo Paulus iubet offerri λογικὰ sacrificia, id est, mentis quæ Deum intuetur, inuocat, ac præstat ei obedientiam. Et Christus inquit: Veri adoratores adorabunt Deum spiritu & veritate.

XXIII.

Et hoc fine illa sacrificia bonorum operum offerantur, non vt mereantur remissionem peccatorum, & deleant gloriam sacrificij Christi, sed vt accepta reconciliatiõe propter aliam victimam præstantiorem, postea celebremus Deum, nos

um, nosipsos exuscitemus, vt in talibus exercitijs fides luceat & crescat, ac inuitemus alios nostris pijs exemplis & officijs, sicut Dauid in Psal. 116. dicit, se redditurum Deo vota, id est, acturum gratias, celebraturum Dei beneficia, vt innotescat bonitas Dei, & alij inuitentur ad agnoscendum hunc Deum, & præstandos veros cultus.

XXIIII.

Magna profecto est dignitas bonorum operum, tribui eis a Deo hanc summam laudem, quod sint res per quas Deus testatur se honore affici, se agnosci, sibi tribui honorem diuinitatis. Item quod noster Pontifex Christus perfert ea ad Patrem, vt sint odor gratus patri.

XXV.

Quare cum simus regale & sanctum sacerdotium, etiam secundum Petri præceptum, offeramus hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum, sicut & Paulus monet Roman. 12. Obsecro vos fratres per miserationes Dei, vt præbea-

præbeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, acceptam Deo λογικὴν λατρείαν. Et Pſal. 50. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua. Et Pſal. 116. Tibi ſacrificabo ſacrificium laudis, & nomen Domini inuocabo.

ÆTernus & miſericors Deus Pater Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, corda noſtra Spiritu ſancto ſuo accendat, vt ſacrificium vnigeniti filij ipſius, quod pro totius mundi peccatis obtulit, vera fide nobis applicemus, ac veros cultus mentis & opera iuſticiæ ei offeramus, Et hunc ſolum, verum, ſanctum, fortem, immortalem, iuſtum, miſericordem Deum celebremus & glorificemus in ſecula ſeculorum.

AMEN.

præbeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo λογικὴν λατρίαν. Et Psal. 50. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et Psal. 116. Tibi sacrificabo sacrificium laudis, & nomen Domini inuocabo.

ÆTernus & misericors Deus Pater Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, corda nostra Spiritu sancto suo accendat, vt sacrificium vnigeniti filij ipsius, quod pro totius mundi peccatis obtulit, vera fide nobis applicemus, ac veros cultus mentis & opera iusticiæ ei offeramus, Et hunc solum, verum, sanctum, fortem, immortalem, iustum, misericordem Deum celebremus & glorificemus in secula seculorum.

AMEN.

DISPVTATIO DE ECCLESIA

PROPOSITA IN CELEBRI ACADEMIA LIPSENSI

A

Petro Helborn

Sacræ Theologiæ Doctore.

Ad diem XV. Iulij.

LIPSIÆ

Iohannes Rhamba excudebat

M. D. LXIX.

DISPVTATIO DE ECCLESIA.

PROPOSITIO I.

NOn dubitandum, sed firmiter statuendum est, omnibus temporibus inde à condito mundo, usq; ad hæc tempora nostra, semper fuisse, esse, & posthac usq; ad finem mundi futurum esse cœtum aliquem piorum hominum.

II.

Habuit enim Deus omnibus ætatibus suos quosdam cultores, qui ipsum rectè agnouerunt & piè coluerunt.

III.

Tales fuerunt ab initio, Adam, Eua, Abel, Seth, Enos, & alij complures usq; ad Nohæ tempora. Et post Noham sancti Patriarchæ Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses & alij multi.

IIII.

Post Mosen secuti sunt sancti Reges & Prophetæ, usq; ad Christum. Christi temporibus ecclesia erant Zacharias,

Simeon, Elizabeth, Maria, pastores, sancti Apostoli, & alij innumeri, Et sic omnibus temporibus usque ad hoc nostrum postremum & deprauatissimum seculum.

V.

In quo quamuis regnat iniquitas, & secũdum dictum Senecæ: periêre mores, ius, decus, pietas, fides, Tamen Deus ex hac misera & squalida massa generis humani colligit sibi uoce filij sui aliquem cœtum, qui ipsum in omnem æternitatem est celebraturus.

VI.

Hunc cœtum usitate nominamus Ecclesiam uoce Græca, & â Latinis usurpata & recepta, quæ uox apud prophanos scriptores significat populum euocatum ad audiendum de Reipublicæ negotijs. Nam ἐκκλησιάζειν est in cœtu conuocato verba facere. Et ἐκκλησιαστὴς is dicitur, qui publice orat ad multitudinem: Vnde ad usum sacrum translata hac dictione, Ecclesia dici cœpit cœtus uel communio fidelium, credentium sancto Christi Euangelio.

Reti-

VII.

Retinemus autem usitatam definitionem, qua Ecclesia definitur esse cœtus uisibilis eorum, qui amplectuntur Euangelium Christi, & recte utuntur Sacramentis, in quo Deus per ministerium Euangelij est efficax, & multos ad vitam æternam regenerat, cui cœtui tamen multi mali & non conuersi sunt admixti, qui tamen non aperte & contumaciter aduersantur ueræ doctrinæ. Hæc uera est Ecclesiæ descriptio congruens cum verbi Dei testimonijs, sicut deinceps nunc ostendemus.

VIII.

Primum Ecclesiam esse uisibilem, manifestum est, quia habet externa signa, per quæ cognoscuntur membra Ecclesiæ ubicunque terrarum degunt, ut sunt Euangelium, Sacramentorum administratio, confessio Euangelij, ac multa testimonia Spiritus sancti in inuocatione & afflictionibus piorum.

IX.

Cum enim uelit Deus inuocari in genere humano, & ab omnibus agnosci & celebrari, uult etiam Ecclesiam suam conspici & exaudiri, quemadmodum inquit Christus Matth. 18. Vbicunque duo aut tres congregati erunt in nomine meo, ibi in medio eorum sum.

X.

Non igitur imaginandum est, Ecclesiam esse ideam Platonicam, quæ nusquam appareat & conspiciatur in terris, Sed ubicunq; est cœtus sonans puram Euangelij doctrinam, & uerum ac legitimum usum Sacramentorum retinens, ibi sine dubio uera est hæreditas Christi, & aliqua membra, quæ electa sunt ad æternam gloriam, sicut & Paulus inquit Rom. 8. Quos elegit, hos & uocauit. Docet enim solum cœtum uocatorum esse intuendum, nec extra hunc electos esse quærendos.

XI.

Hæc uisibilis Ecclesia monstratur Gen. 28. Patriarchæ Iacob in imagine scalæ consistentis in terra, & cacumine cœlum

cœlum attingentis, in qua aſcendunt & deſcendunt angeli, & cui Dominus innixus edit ampliſsimas promiſsiones, Vnde Iacob euigilans de ſomno ſentit diuinam conſolationem, & agnoſcit hunc ipſum locum fore hoſpitium Eccleſię, ac ideo mutato priore nomine loci, uocat eum שער השמים & בית־אל hoc eſt, domum Dei & portam cœli.

XII.

In hac dulciſsima pictura deſcribitur Eccleſia, quod ſit locus ſeu cœtus, in quo ſonat uox ſeu doctrina de filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui coniungit Eccleſiam cum Deo, eamq; iterum alligat ad uerum caput, à quo fraude diaboli iam pridem auulſa erat.

XIII.

Deinde in Chriſto, ut ipſe exponit Iohan. 1. aſcendunt & deſcendunt angeli, id eſt, miniſtri uerbi à Deo patre accipiunt Euangelij lucem, Spiritum ſanctum, & alia dona, eaq; iuxta uocationem alijs impertiunt, Et in tali cœtu, ubi miniſtri recte docent Euangelium,

Deus habitat, & aditum patefacit credentibus ad regnum cœlorum.

XIIII.

Ad eundem modum Ecclesiam describit & Paulus 1. Timoth. 3. Ecclesiam uocans domum Dei, columnam & sedem veritatis, id est, veræ doctrinæ de Deo. Vbicunq; igitur est uera doctrina, ibi Ecclesiam Dei esse necesse est.

XV.

Hæc hactenus de prima parte definitionis dixisse satis sint, nunc etiam altera pars est enarranda, uidelicet, Deum esse efficacem in hoc cœtu per verbum & Sacramenta, idq; testantur sequentia testimonia scripturæ.

XVI.

Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 10. Quomodo inuocabũt eum, in quem non crediderunt, quomodo credent ei, de quo non audiuerunt? Siquidem fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

Huc

XVII.

Huc pertinent & hæc dicta, Ioh. 17. Sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioh. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Esa. 59. Hoc est fœdus meum cum eis, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore seminis tui, dicit Dominus deinceps & in sempiternum.

XVIII.

Hæc dicta continent salutarem doctrinam & consolationem, uidelicet, Ecclesiam uisibilem esse cœtum amplectentem ueram Euangelij doctrinam, & uerum usum Sacramentorum, Et extra hunc cœtum non esse quærendos electos, sed Deum in hoc uerè efficacem esse, & præstare per uerbum, promissionem uitæ æternæ. Et ad hoc uerbum ita alligatam esse Ecclesiam, ut extra illud nihil statuendum sit de essentia &

uoluntate Dei, ſicut & ſcribitur Eſa. 8. Ad legem & teſtimonium, qui non dixerit iuxta uerbum hoc, non erit ei lux matutina.

XIX.

Tertia pars definitionis eſt, in qua dicitur, multos in hoc cœtu eſſe non renatos ſeu conuerſos, ueræ tamen doctrinæ non aduerſantes. Id quod non intelligatur tantum de non baptizatis, ſed etiam de baptizatis, qui uel gratia exciderunt, polluti peccatis contra conſcientiam, uel qui non ſunt conuerſi, aſſentientes tamen doctrinæ, & non perſequentes, non blaſphemantes, nec improbantes.

XX.

Sub hoc numero compræhendi ſolent & Hypocritæ, qui quamuis eãdem profiteantur fidem, iiſdemq; utantur Sacramentis, non tamen ex animo credunt, nec ſyncere amplectuntur doctrinam Chriſtianam, etiamſi hanc non aperte reprehendant & reiiciant. Atq; horum corda introſpicit & iudicat Deus, qui

us, qui ſolus eſt, ut Scriptura inquit, ſcrutator cordium.

XXI.

Hanc uero ultimam partem definitionis confirmant ſequentia dicta. 1. Iohan. 2. expreſſe dicitur: Exierunt de nobis, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.

XXII.

Cum igitur Iohannes dicit: Ex Eccleſia exiſſe malos & Hypocritas, ſequitur tales etiam in Eccleſia fuiſſe, & Eccleſiæ annumeratos, Sed quia deſerunt Eccleſiam, & doctrinam oppugnant, declarant hac ſua defectione ſe non uera Eccleſiæ membra fuiſſe.

XXIII.

Et Paulus 1. Cor. 5. diſcrimen facit inter manifeſtos hoſtes Eccleſiæ, & inter eos, qui doctrinam Euangelij non oppugnant, quamuis ſint polluti alijs ſceleribus: Si is, inquit, qui frater nominatur, fuerit ſcortator, aut auarus, &c. cum tali ne cibum quidem capiatis.

Quid

Quid enim ad me attinet, etiam de his, qui foris sunt iudicare? Nonne de his qui intus sunt iudicatis? Eos uero qui foris sunt, Deus iudicat.

XXIIII.

Huc referantur & parabolæ, quæ idem docent, Matth. 13. Christus confert Ecclesiam sagenæ missæ in mare, in qua sunt simul boni & mali pisces. Item in eodem capite affirmat, in Ecclesia mansura esse zizania usq; ad diem extremi iudicij.

XXV.

Huc addantur etiam exempla antiquissimæ Ecclesiæ, quæ non fuit expers scandalorum, Quanto enim probro Cain primum florem Ecclesiæ deformauit, interfecto fratre suo Abele?

XXVI.

Deinde familia Noë, quæ fuit admodum exigua, aluit Chanaan hypocritam & παρεάστω patris. Ita in domo Abrahæ Isaac bonus fuit, sed Ismael cum matre impius declaratur.

Mixtus

XXVII.

Mixtus etiam cœtus fuit in Ecclesia Isaac, Iacob enim pius à Deo diligitur, Esau autem malus, odio habetur, & ducendo vxores Cananæas contra parentum suorum uoluntatem, ingenti mœrore eos afficit.

XXVIII.

Fuerunt etiam inter filios Iacob non omnes pij. Ruben primogenitus polluit lectum paternum incesta consuetudine nouercæ. Simeon & Leui fiunt parricidæ maximæ multitudinis, & fratrem Ioseph immani scelere in foueam conijciunt, & tandem in Aegyptum diuendunt. Iudas uero rem habet cum nuru sua.

XXIX.

Quis quoq; non toto pectore cohorrescat, colligens fœdissima exempla scelerum, quibus Ecclesia Corinthiorum contaminata fuit: propter quæ grauissime redarguuntur à Paulo in priori Epistola ad eos scripta.

Quoties

XXX.

Quoties etiam Prophetæ conqueruntur de populi Dei impietate, ut Esa. 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, iusticia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum uersum est in scoriam, uinum tuum mixtum est aqua, principes tui infideles, socij furum. Et cap. 18. dicit, uirginem Israël horribiliora facere quàm gentes, &c.

XXXI.

Hæc omnia animis infigenda sunt, ne etiam hoc tempore, propter aliquorum improbitatem, in quibus vox Euangelij nullos fructus pietatis relinquit, ab Ecclesia abalienemur, & ministerium contemnamus. Studet enim diabolus, & totis uiribus in id incumbit, ut multos abducat à societate Ecclesiæ ueræ, & animis instillet contemtum Euangelij excitatis aliquot organis, quæ se ministros scelerum & scandalorum præbent, & propter quos, ut Paulus inquit, nomen Dei inter gentes blasphematur.

Nos

Nos uero toto pectore oremus Deum æternum patrem Domini noſtri *IESV CHRISTI*, ut ſua immenſa miſericordia propter filium ſuum, perpetuo inter nos uoce Euangelij colligat æternam Eccleſiam, & regat nos Spiritu ſancto ſuo, ſeruet & gubernet politias harum regionum, & earum diſciplinam, ac efficiat ut ſemper inter nos luceat uera ipſius agnitio, ut eum una cum Filio & Spiritu ſancto, unum, uerum, uiuum, omnipotentem, ſapientem, miſericordem, & uerum Deum in omni æternitate laudemus & celebremus,

Amen.

DE BONIS OPERIBVS

Capita ad disputandum proposita in Academia Lipsica

ab

Henrico Salmuth D.

Pastore Ecclesiæ ad S. Thomam.

Ad XIIII. diem Iulij.

Anno IESV CHRISTI

M. D. LXX.

Lipsiæ

Iohannes Rhamba excudebat.

CAPITA DE BONIS OPERIBVS.

I.

DEVS inenarrabili bonitate condidit genus humanum, ut sit Ecclesia, cui suam sapientiam, et iustitiam communicet, & in qua vicißim agnoscatur, & in omni æternitate celebretur. Et cum lapsi essent homines in peccatum & mortem, Filius DEI factus est mediator, ac deprecator, & in se deriuauit ingentem iram DEI, sudans sanguinem, & moriens in cruce, non ut confirmetur peccatum in hominibus, & sit licentia omnium scelerum, sed ut peccatum & mors reipsa deleantur in homine, & incoëntur æterna vita, & æterna lux, sapientia, & iustitia, & homo rursus fiat templum DEI, præstans debitos cultus, sicut Ephes. 2. scriptum est, Ipsius figmentum sumus, conditi in CHRISTO IESV ad opera bona, quæ præparauit DEVS, ut in eis ambularemus. Ac Pater æternus per Filium mittit Spiritum sanctum in corda fidelium, ut flectat ea ad obœdientiam, & excitet in eis nouos motus congruentes legi DEI.

II.

Quare certißimum est, nouam obœdientiam seu bona opera esse necessaria, quemadmodum hæc dicta testantur. Paulus Rom. 8. inquit: Debitores sumus, ne secundum carnem viuamus. 1. Ioan. 3.

Nemo seducat vos, qui facit iustitiam, iustus est, qui facit peccatum, ex Diabolo est. 1. Cor. 6. Ne erretis, fornicatores, adulteri, idolatræ, &c. regnum DEI *non possidebunt.*

III.

Sunt autem facienda opera, quæ sunt præcepta in verbo DEI, *ac summa comprehensa est in Decalogo, rectè intellecto. Ideò enim* DEVS *patefecit legem rationali creaturæ in prima creatione, eamq; postea sæpè repetiuit, ac semper vocem illius in Ecclesia sonare voluit, ut arguat peccatum, & ostendat, quæ opera, & qui cultus* DEO *placeant, ac regantur corda verbo* DEI, *nec propria audacia fingant opera & cultus, iuxta hæc dicta: Psalm. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ezech. 20. In præceptis meis ambulate, & facite ea. Et cum Ioannes inquit, Peccatum est, quicquid contrarium est legi* DEI, *vult sciri, normam esse operum Legem* DEI.

IIII.

Hæ perspicuæ confirmationes tenendæ sunt contra Antinomos, & Anabaptistas, qui nolunt doceri legem moralem in Ecclesia, & deleta hac norma fingunt omnes suos impetus esse motus Spiritus sancti, ac concedunt infinitam licentiam contra vocem diuinam. Detestandi sunt etiam furores Ethnicorum, qui subinde noua numina excogitarunt, & deleuerunt leges morales, approbantes confusiones libidinum, homicidia, & alia scelera. Taxanda est quoque eorum impietas, qui in Eccle-

sia

fixerunt cultus sine verbo, & contra verbum, ut sunt, Inuocationes sanctorum qui ex hac vita excesserunt, Cultus Idolorum, leges cœlibatus, & monastici cultus, de quibus vox diuina inquit, Frustrame colunt mandatis hominum.

V.

Hac noua obœdientia, non tantum est externa disciplina, sed etiam interior obœdientia, ut sunt, Vera DEI agnitio, Fides, Timor DEI, Dilectio, Spes, vera Inuocatio, Constantia in confessione. De hoc interiore cultu inquit Christus, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, id est, spiritualibus & veris motibus, Timore, pœnitentia, fide, inuocatione, & similibus.

VI.

Etsi autem in hac mortali vita simul in nobis est multum caliginis, & sordium, tamen incoari in nobis has virtutes, & esse in nobis iustitiam bonæ conscientiæ necesse est. Nec possunt vera fides & inuocatio esse cum mala conscientia, cum homo habet propositum delinquendi.

VII.

Ac certum est in homine non renato aliquam esse libertatem, vtcunq; regenda locomotiua, sicut vsitatè loquimur, quare potest homo aliquo modo externas actiones facere, congruentes legi DEI, quanquam hac libertas languidior est in hac infirmitate naturæ hominum, & sæpissimè impeditur insidijs diabolorum. Et postulat DEVS hanc

diligentiam, ut regamus Locomotiuam, ut scriptum est: Lex est iniustis posita. Item: Ne contristetis Spiritum Sanctum.

VIII.

Sed interior obœdientia, non potest incoari sine Euangelio, & sine auxilio Spiritus sancti, quia ipse Filius DEI *est efficax voce Euangelij, & ostendit voluntatem patris, & simul effundit Spiritum sanctum in cor, ut assensionem confirmet, excitet timorem, fidem, dilectionem* DEI, *& flectat cor ad inuocationem, & adiuuet omnes vires, etiam ad regendas externas actiones. Ipse etiam Filius* DEI *potenter depellit diabolos insidiantes, menti dat bona consilia in rebus dubijs cogitatione doctrina, & cor in bonis consilijs confirmat Spiritu sancto, & ducit ad occasiones salutares, ut Dauidi dat consilium, ne interficiat Saulem, & in hoc consilio, confirmat eum Spiritu sancto, & exitus est salutaris.*

IX.

De hac Filij DEI *præsentia & auxilio dicitur Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, id est, nullas actiones salutares. Item. Apparuit Filius* DEI, *ut destruat opera Diaboli. Ac dulcissimè concionatur Propheta Zach. de donatione Spiritus sancti, & effectibus illius, cum inquit: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Vocat Spiritum gratiæ eò quod testificatur in cordibus nostris, quod* DEVS *sit nobis propitius, cum videlicet, mouet corda, ut promissioni assentiamur, & statuamus nos à* DEO *recipi. Deinde cum agnoni-*

mus

mus misericordiam DEI, *inuocamus, diligimus, & subijcimus nos ei. Complexus est igitur praecipuos cultus, qui sunt fontes vniuersa obœdientia, fidem & inuocationem.*

X.

Pertinet ad promissiones auxilij, & hæc sententia. DEVS *est qui efficit in vobis, & ut velitis, & ut perficiatis, & ut aliqua ipsi grata fiant, hoc est,* DEVS *misit Filium, ut sit redemptor, & saluator, dedit vocem Euangelij, & Spiritum sanctum, ut trahat & conuertat homines. Hæc non ideò tantum fecit, ut initia conuersionis fiant, sed ut perficiatur totum beneficium saluationis, ut ædificans non tantum initia molitur, sed domum vult extruere totam.*

XI.

Ac discunt renati in vera inuocatione præsentiam DEI *tripliciter. Primò, Sentiunt consolationem in corde in conuersione, ut dicitur: Iustificati fide pacem habemus, quæ verè est testimonium præsentiæ Spiritus sancti, iuxta dictum: Accepistis Spiritum clamantem, Abba Pater. Secundò, sentiunt & auxilium in ipso labore, ut dicitur, Spiritus opitulatur infirmitatibus nostris. Tertiò, cognoscunt in euentu* DEVM *fuisse gubernatorem, iuxta dictum Psalmi: Commenda* DEO *viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.*

XII.

His dictis de auxilio DEI, *non est assingenda Manichæa, uel Enthusiastica imaginatio, otiosos &*

indulgentes voluptatibus expectare debere violentos raptus ad benefaciendum, imò trahit DEVS, sed volentem trahit. Non sit igitur ignaua voluntas, præsertim cum Spiritus sanctus restituere libertatem cœperit, sed seuerè imperet externis membris, pugnet ut retineat DEI donum. Quare Paulus præcipit: Ambulate accuratè non ut fatui, id est, quibuslibet opinionibus sine iudicio applaudentes, & ruentes quò impellunt errantes cupiditates, ut in Psalmo 32. dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus. Ac possunt nostra diligentia aliquo modo vitari occasiones peccatorum, Vt, Ioseph vitabat colloquia familiaria domina.

XIII.

Damnandi etiam sunt furores Pelagianorum, qui transformant Ecclesiæ doctrinam in Philosophicas imaginationes, ac fingunt legi DEI satisfieri externa obœdientia, ac posse satisfieri legi sine Spiritu sancto, & illam externam obœdientiam affirmant esse iustitiam coràm DEO, & mereri remissionem peccatorum, & vitam æternam, qua opinio delet beneficia Mediatoris, & auxilium atq; efficaciam Spiritus sancti, & abolet veram DEI agnitionem & inuocationem.

XIIII.

His furoribus opponenda sunt hæ verissimæ asseuerationes suprà positæ. Legem non tantum requirere disciplinam externorum operum, sed etiam interiorem, spiritualem, & integram obœdientiam, quæ, ne incoari quidem potest à nobis sine auxilio Spiritus sancti. Et quanquam regenerati per

ti per verbum & Spiritum sanctum incipiunt aliquo modo præstare illam interiorem obœdientiam, tamen ea est valde languida, & nequaquam est integra impletio legis. Ac manent in sanctis peccata in hac vita, Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Iob. 9. Verè scio quod non sit iustus homo coram DEO. Et longa extat declaratio Rom. 7. Et alia re sunt iusti coram DEO, videlicet, obœdientia Filij DEI, sicut Rom. 4. dicitur: CHRISTVS traditus est propter peccata nostra, & resuscitatus est propter nostram iustitiam.

XV.

Sed piæ mentes, quæ habent initia timoris & fidei, cum sentiunt infirmitatem suam, quàm frigida sit inuocatio, quàm multa errantes flamma cupiditatum, quanta ignorantia, quàm multa errata in vocatione, quàm multa prætermissiones officij, valdè excruciantur, & disputant, an, & quomodo placeat DEO hæc mutila, impedita, imperfecta, & contaminata obœdientia?

XVI.

Verissima autem responsio est, nouam obœdientiam, seu bona opera in conuersis seu renatis, placere fide propter Mediatorem. Primum conuersus statuat personam iustam esse, id est, acceptam DEO, & placentem gratis propter Mediatorem, Sola Fide, non propter propriam legis impletionem. Secundò, agnoscat & fateatur conuersus, se nequaquam Legi DEI satisfacere, & adhuc circumferre

cumferre peccata interiora, magnam caliginem, dubitationes, & malas inclinationes, peccata ignorantiæ & omissionis, & verè doleat, tantam esse molem peccati reliquam in nobis, & hanc infirmitatem, in natura corrupta hærentem, veris gemitibus deploret. Tertiò, sciat conuersus, quanquam non satisfacimus legi DEI, tamen DEVM verè & immutabiliter velle, ut incoëtur obœdientia iuxta præcepta Decalogi, & placere DEO incoatam obœdientiam in reconciliatis propter Mediatorem, qui & intercedit pro nobis assiduè, & est vmbraculum tegens infirmitatem nostram, Sicut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales acceptas DEO per IESVM CHRISTVM.

XVII.

Detestemur itaq; Hypocritarum arrogantiam, qui putant se legi DEI satisfacere, & se & opera propter propriam dignitatem placere, sicut sese admiratur Pharisæus Lucæ 18. & existimat, se sine peccato esse. Ac humiliemus nos coram DEO, cogitantes de infirmitate nostra, & cum Dauide dicamus: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis consistet?

XVIII.

Consideremus quoq; amplitudinem misericordiæ DEI, recipientis in reconciliatis propter Filium hanc mutilam & mendicam obœdientiam, in qua ipsi cernimus multum esse sordium.

XIX.

Et accendantur corda ad inuocationem, & ad studium benè operandi, cum sciamus velle DEVM

nos non deterreri ab inuocatione propter nostram infirmitatem, & velle nos non eò segniores esse in bene operando, quia cogitamus operum imperfectionem. Nam conuersi placent DEO, & exaudiuntur à DEO, etiamsi adhuc harent in illis reliquiæ peccati, iuxta hæc illustria testimonia: Nulla nunc condemnatio est his, qui sunt in CHRISTO IESV. Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus apud DEVM, per dominum nostrum IESVM CHRISTVM, per quem & accessum habemus in gratiam hanc, in qua stamus. Rom 14. Qui in his seruit CHRISTO, bene placebit DEO. Hebr. 12. Ideò regnum accipientes, quod destrui non potest, retineamus gratiam, per quam seruiamus placentes DEO cum reuerentia & circumspectione.

XX.

Porro causæ etiam considerentur, propter quas incœpta est noua obœdientia.

XXI.

Firmiter retinenda est hæc perspicua, & iam aliquoties repetita asseueratio, nostras virtutes, & bona opera, non esse meritum remissionis peccatorum, neq; reconciliationis, neq; vitæ æternæ, sed hæc beneficia certò propter Filium DEI gratis dari credentibus. Rom. 6. Donum DEI vitæ æternæ per CHRISTVM IESVM dominum nostrum. Ephes. 2. Gratis saluati estis per fidem.

XXII.

Et tamen simul veræ est propositio: Noua obœdientia est necessaria. Ac intelligitur noua obœdientiæ

entia non tantūm de externis operibus, sed etiam de interiore luce & nouitate, ut anteà quoq; monuimus.

XXIII.

Nec vocabulum necessitas, seu debitum, propriè significat violentam coactionem, ut quidam insulsè interpretantur, sed significat ordinem quem sapientia & iustitia DEI immutabiliter sanxit, ut creatura rationalis DEO volens obtemperet, & sciat, non esse faciendum contrà hunc ordinem.

XXIIII.

Quare necessitate mandati & debiti necessaria est noua obœdientia. Ac horribilis est furor Antinomorum, qui vociferantur, nouam obœdientiam non esse necessariam. DEVM non curare opera. Credentes esse suprà omnem obœdientiam. Præcipuam artem Christianorum esse nescire legem. Et manifestè refutatur hæc impudentia dicta Pauli, Debitores sumus. Et in Epistola Ioannis dicitur: Et nos debemus nos mutuò diligere. Luc. 17. Serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus. Nec liberatio à lege est talis laxatio, ut lex, id est, sapientia & iustitia in DEO desinat, qua ordinat, ut rationalis creatura sit ipsi conformis.

XXV.

Ac necessitate ordinis, causæ, & effectus, est necessaria noua obœdientia, quia cum fide accipitur Spiritus sanctus, accenduntur tales motus, quales est ipse Spiritus sanctus, & incoantur simul multa egregia virtutes, & bona opera. Sic Ioan. inquit: Omnis natus ex DEO peccatum non facit, quia

semen

semen DEI *in eo manet, & omnis qui non facit iustitiam, non est ex* DEO.

XXVI.

Et in vera conuersione ad DEVM, *sicut abiectionem mali propositi, ità incoationem nouitatis,* Filio DEI *viuificante cor, & dante Spiritum sanctum, fieri necesse est. Et renatus seu conuersus necessario habet initia nouæ obœdientiæ, & quatenus est nouus, est talis incoata nouitate, Vt si dicas, aquam calefactam necessario calere, & calefacere.*

XXVII.

Necessitate quoq; retinendæ fidei est necessaria. Quia cum fiunt peccata contra conscientiam, Spiritus sanctus expellitur, & lapsus contrà conscientiam rursus fit reus iræ DEI, *& pœnæ æternæ, sicut* 1. Ioan. 3. *dicitur: Nemo decipiat vos, qui facit peccatum ex diabolo est.* 1. Cor. 6. *Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidæ, &c. non possidebunt regnum* DEI. *Ac ne potest quidem Fides esse in ijs qui sunt sine pœnitentia, & perseverant in delictis contrà conscientiam.* 1. Timoth. 5. *Si quis suorum & maximè domestitorum curam non habet, fidem abnegauit, & infideli est deterior.*

XXVIII.

Pratereà necessaria est nouæ obœdientiæ, ut vitentur pœnæ corporales & æternæ, quia lapsi in scelera contrà conscientiam, attrahunt sibi pœnas in hac vita, sicut tota mundi historia plena est tristissimorum exemplorum, & qui non conuertuntur runt in æternas pœnas, iuxta illud: Nemo vos decipiat vanis sermonibus, propter hæc venit ira

DEI

DEI *super inobœdientes. Item: Qui talia faciunt, regnum* DEI *non possidebunt.*

XXIX.

Et cum magna sit bonorum operum dignitas, quia honorifica nomina illis tribuuntur, quod fructus Spiritus sancti, cultus DEI, *& sacrificium scilicet* εὐχαριστικὸν *vocantur, & præmia à* DEO *offeruntur, hæc quoq; dignitatis consideratio in nobis excuscitet studium benè operandi.*

XXX.

Certum est virtutes & bona opera renatorum, non esse impletionem legis, nec mereri vitam æternam, ut pontificij fingunt, imò adhuc manent in renatis multa & tristia peccata. Sed postquam persona est iusta, & hæres vitæ æternæ, placet DEO *noua obœdientia, ut sæpè diximus, propter Mediatorem. Et propterea nominatur cultus* DEI *& sacrificium iuxta dictum Petri: Offerte hostias Spirituales placentes* DEO *per* IESVM CHRISTVM. *Nam sacrificium significat opus, quo* DEVS *iudicat se honore affici.*

XXXI.

Etsi autem remissio peccatorum & vita æterna donantur propter Filium DEI *gratis, & fide accipienda sunt, tamen bona opera reconciliatorum habent præmia, cum spiritualia in hac vita, & post hanc vitam, tum corporalia, Sicut clarè in parabola dicitur: Habenti dabitur.*

Et 1. Timoth. 4. Pietas habet promissiones præsentis & futuræ vitæ. Certè multæ tristes pœnæ publicæ & priuatæ mitigantur propter pœnitentiam

tiam & bona opera aliquorum in Ecclesia, iuxta illud: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

XXXII.

Sicut enim comminationes diuinæ ratæ sunt, & haud dubiè DEVS punit peccata in hac vita, & post hanc vitam, in his qui non conuertuntur. Ita rursus promissiones legales, quæ promittunt præmia pro operibus, ratæ sunt reconciliatis, etiamsi legi non satisfaciunt, sed quia placet obœdientia in reconciliatis, etiam dătur præmia in lege promissa.

XXXIII.

Et quamuis bona opera habent præmia, tamen simul teneatur doctrina de Fide, quæ gratis accipit reconciliationem, & intelligit corporalia quoq; dari principaliter propter Mediatorem, & ad Ecclesiæ in hac vita conseruationem. Nec amplificat merita, sed semper simul indignitatem propriam fatetur, sicut Iacob inquit, Genes. 32. Minor sum cunctis miserationibus tuis.

ORo Filium DEI, vt lucem veræ doctrinæ in his terris accensam, etiam apud nos contra omnes insidias & fraudes Diabolicas, clementer conseruet, & mentes nostras regat, vt vera fide, inuocatione, & vera obœdientia eum celebremus in hac vita, ac deinceps in omni æternitate, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit laus, honor, gloria, per sæcula sæculorum,

AMEN.

O Filium Dei, vt lucem vere do-
ctrinæ in his terris accendant, etiam
nos contra omnes inimicos & tyran-
nos Diabolicas, clementer confirmet, &
mentes nostras regat, vt vera fide in nos-
tros, & vera obedientia cum celebre-
mus hic vitam, ac deinceps in omni æter-
nitate cum Patre, & Spiritu Sancto lie
tus, bonor, gloria, per Iesum
Christum.

AMEN.

DE FIDE
DISPVTATIO
PROPOSITA
IN CELEBRI ACADEMIA LIPSENSI
A

Petro Helborn
S. Theologiæ Doctore.

Die XV. Decembris.

ANNO

M. D. LXX.

Lipsiæ Iohannes Rhamba
imprimebat

DE FIDE.

I.

FIDES non tantum mentis noticiam, sed etiam animi firmam assensionem fiduciam significat.

Aduersarij nostri ideo negant, Hominem iustum esse fide, amplectente promissionem de misericordia & gratuita remissione peccatorum propter Mediatorem, quia per vocabulum fidei contendunt nihil aliud significari, quàm noticiam historiæ, quæ ficta & simulata esse potest, quemadmodum & diaboli: quorum omnis voluntas, cogitatio, & tota mens à Deo auersa est: callidè & astutè imitantur formulam confessionis, quam Euangelista Lucas capit. 8. recitat: Tu Christe, inquiunt, fili Dei altissimi. Et Iacobus in sua Epistola capit. 2. scribit: Dæmones credere & contremiscere. Confirmandum igitur est firmis testimonijs, Fidem hæc tria significare in scriptis Propheticis & Apostolicis, Primò, Noticiam personæ & beneficiorum Christi. Secundo, assensionem omnium articulorum fidei, qui nobis ad credendum, claro & perspicuo verbo propositi sunt. Tertio, fiduciam acquiescentem in solo Mediatore.

Paulus ad Rom. 5. scribit: Iustificati fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Et capit. 10. citat ex 28. capite Esaiæ:

Esaiæ: Omnis qui confidit illi, non pudefiet seu confundetur. Deinde in Actis Apostolicis dicitur: Fide purificari corda. Et Abacuc cap. 2. inquit: Iustus in fide sua uiuet. Hæc dicta loquuntur de propriis effectibus fidei, qui sunt, efficere tranquillas & pacatas conscientias, eripere à confusione, pura & munda reddere corda à peccatis, iustificare & viuificare, Quæ omnia cum sola & nuda historiæ noticia præstare non possit (qui enim solam noticiam tenent, hi non percipiunt veram consolationem, nec consequuntur pacem in conscientijs, sed magis augentur in illis pauores & cruciatus, & demum adiguntur ad desperationem, vt de Diabolis testatur Iacobus, & apparet quoq; in desperatis hominibus) sequitur fidem non tantum esse noticiam historiæ, sed fiduciam assentientem promissioni de gratuita misericordia & reconciliatione, quæ pugnat cum dubitatione, & eam vincit, & quæ dat gloriam Deo, & certum facit Deum præstiturum quæ promisit. Hæc enim propria sunt fidei.

Huc referri debet præclarissimum exemplum fidei Abrahæ, quam Paulus ad Rom. cap. 4. maximè significantibus & illustribus verbis commendat. Ibi enim perspicuè ostenditur, Abrahamum non solum, quæ à Deo promissa erant, audiuisse & intellexisse, sed etiam eadem speraſſe, ijs assensisse, & toto corde confidisse, ac cunctis viribus huc collatis in eis acquieuisse. Inquit enim illum prater spem credidisse in spem.

Huc addantur quoque testimonia Patrum: D. Augustinus in libro de Prædestinatione inquit:

Fides

des est cogitare cum assensione ea, quæ ad religionem Christianam pertinent. Ex hoc Augustini dicitur, Ad fidem non solum historiæ noticiam cernitur, Ad fidem non solum historiæ noticiam quiri, sed & assensum in promissiones de Christo, quæ creditæ constituunt Christianam religionem.

IDEM de fide ad Petrum Diaconum: Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei numerum pertingere potest, sine hac omnis labor hominis vanus est: Et hic locus satis apertè tenetur, de qua fide loquatur Augustinus, nimirum de illa quæ facit nos filios Dei. Ea autem fides est, quæ apprehendit promissiones, & quæ certò statuit propter Christum placere Deo. Si verò Augustinus tantum loqueretur de noticia, sequeretur, Omnes esse statim filios Dei, qui noticiam historiæ de Christo haberent, etsi nullo interno motu agitarentur.

Quid etiam Paulus per Credendi verbum, & Fidei nomen intelligat, ex linguarum usu percipi potest. Hebræis est הֶאֱמִין quod idem ualet, quod Græcis πιστεύω, Et Latinis Credidit, fisus est. Vtuntur autem eo, non pro nosse tantum, sed præterea etiam pro assentiri & confidere, h. e. habere fidem dictis, & alterius verbis seu promissionibus acquiescere, & certo statuere esse verum, quod sibi dictum est. Hoc ita se habere, colligi potest partim ex Grammatica ratione, partim ex testimonijs & exemplis Scripturæ. Nam apud Hebræos, Verba quæ in prima coniugatione significant motum, aut qualitatem, seu conditionem aliquam inesse nobis, illa

in tertia coniugatione motum illum transferunt in alios. Sic verbum אָמַן *in prima coniug. significat qualitatem nobis inhærentem, nempe veracem esse, quæ in tertia coniugatione adiudicatur alij vt* הֶאֱמִין *veracem duxit siue assensit. Ita Psal. 27. Credo me uisurum bona Domini in terra viuentium. Ex quo loco clarè apparet, Verbum hoc significare motum cordis certò assentientem promissioni diuinæ, & in ea acquiescentem. Consolatur enim Propheta seipsum in afflictionibus suis, expectatione certæ liberationis cum in hac, tum in futura vita, in qua credentes conspicient Deum, & perfruentur dulcissima eius consuetudine. Quæ summa & vnica est consolatio piorum & totius Ecclesiæ oppressæ in hac vita magnis & innumeris calamitatibus.*

Ad eundem modum usurpatur & nomen אֱמוּנָה *pro noticia, assensu, & fiducia, vt illud Abacuc satis docet:* תַּדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה *Hîc, Fides significat fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum Mediatorem, quæ in terroribus conscientiæ cor hominis erigit, uiuificat & sustentat. Posset etiam hæc vocabuli expositio confirmari ex usu Græcorum autorum, quorum testimonia cum in aliorum libris diligenter sint annotata, hîc consulto & breuitatis causa omittuntur, ac pergimus potius ad ipsam fidei definitionem.*

II.

Est autem fides certa ac firma fiducia mi-

cia misericordiæ diuinæ & gratuitæ reconciliationis promissæ ac donatæ propter Christum Mediatorem, qua firmiter credimus & statuimus, Deum esse nobis propitium propter filium suum, remittere peccata, & daturum credentibus uitam æternam.

Paulus ad Ephesios cap. 3. in descriptione fidei, tribuit illi duo insignia vocabula, vocans fidem παῤῥησίαν *seu fiduciam, &* πεποίθησιν, *id est, certissimam promissionem, qua Christi beneficia nobis ita certò applicamus & vendicamus, vt per eum accedamus ad Deum. Verba Pauli sunt:* Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει τῇ διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ. *Hic locus præcipuè est obseruandus, quia clarè docet, quid sit fides. Affirmat Paulus, Fidem esse non modo noticiam articulorum doctrinæ Christianæ, sed & fiduciam certam & firmam misericordiæ & bonitatis Dei erga nos, à Spiritu sancto per verbum in credentium cordibus excitatam & accensam, & quidem talem, qua confirmati audemus per Mediatorem accedere ad Patrem, & eum inuocare. Semper enim necesse est, vt veram inuocationem præcedat fides, vt ad Rom. 10. dicitur: Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Et quod fidem Paulus non simplicem historiæ noticiam, sed & fiduciam misericordiæ propter Christum intelligat,*

ipse se hoc loco interpretatur, cum ait: Fiduciam quæ est per fidem illius.

Autor Epistolæ ad Hebræos capit. 11. *tradit hanc fidei definitionem:* Ἐστὶ δὲ πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. *Significat autem* Hypostasis *fiduciam insistentem atq; inuoluentem sese in promissa bona, quæ certò expectat seu apprehendit.* Elenchus *vero illustrem, euidentem, & perspectam absentium rerum, sensus & animos nostros excedentium, perceptionem & obsignatam quasi assensionem. Porro fidem esse fiduciam, qua indubitatò statuimus Deum nobis esse propitium, & donare nobis vitam æternam, docet Iohannes in priore Epistola cap.* 5. *Qui credit in Filium, habet testimonium in semetipso. Et hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in filio eius est. Hic Euangelista vocat fidem, credere in testimonium, quo testificatus est Deus de Filio suo, quod in eo dederit nobis vitam æternam, eamq; applicet credentibus in nomen eius.*

III.

Hæc sola fide consequuntur credentes remissionem peccatorum, iusticiam & salutem æternam, gratis, sine ullis operibus aut meritis.

In epi-

In Epistola ad Hebræos capit. 11. scribitur: Fide Abel meliorem hostiam, quàm Cain Deo obtulit, per quam (fidem) testimonio diuino pronunciatus est esse iustus, testificante super donarijs ipsius Deo, & per hanc mortuus adhuc loquitur. In hoc dicto perspicuè indicat Apostolus, personam Abelis coram Deo iustam, id est, acceptam esse, & noua ac aterna vita donari, non propter meritum aut dignitatem ullius virtutis, operis aut sacrificij, sed per solam fidem, h. e. fiduciam in merito & sacrificio promissi seminis acquiescentem. Certissimum est enim Adam, Abel, Seth, & omnes electos omnibus temporibus coram Deo iustificari, h. e. accipere remissionem peccatorum, & reputari seu pronunciari iustos, id est, acceptos & Deo placentes, non propria dignitate, sed gratis, sola fide, quæ est non solum noticia promissionis & totius doctrinæ à Deo nobis tradita, sed etiam assensus, quo amplectimur promissionem reconciliationis seu imputationis iustitiæ propter Christum donandæ, & fiducia iuxta promissionem in Christo acquiescens.

Cum autem dicitur, Homines sola fide iustos esse, sciamus hanc Propositionem correlatiuè intelligendam esse de obiecto seu termino fidei, h. e. de Christo Mediatore monstrato in promissione reconciliationis, quòd propter eum solum gratis remittantur nobis peccata, donetur Spiritus sanctus, iustitia & vita aterna. Solum enim Christi meritum est impulsiua & principalis causa nostræ iustificationis. Sed hac Propositione: Fides iustificat, tribuitur iustificatio, causæ instrumentali, vt

vtrumq; ſciamus, & dari reconciliationem ac iuſticiam propter ſolum Filium Dei, & hoc beneficium fide apprehendendum & nobis applicandum eſſe.

Neceſſe eſt autem retineri particulas excluſiuas: Gratis, ſine fide, ſola, vt debitus honos redemptionis Filio Dei tribuatur, & conſcientia in vera pœnitentia certam & firmam conſolationem habeant. Hæ enim particulæ excludunt opera & reliquas virtutes, non ut non adſint, ſed ne ſint cauſſa reconciliationis & precium redemtionis, & transferant cauſſam in Chriſtum Mediatorem, quem ſolum oſtendunt eſſe reconciliatorem & redemtorem, ſicut ſcriptum eſt, Rom. 4. Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſticiam.

IIII.

Non eſt fides noſtra uirtus, aut aliquid in nobis dignum remiſsione peccatorum & iuſticia æterna.

Lutherus in expoſitione 4. cap. Geneſios: Neceſſe eſt, inquit, hominem eſſe iuſtum ante omnia opera, & ſine operibus acceptari à Deo tantum per gratiam, quam fides credit & apprehendit: Neq; enim fides tanquam opus iuſtificat, ſed ideo iuſtificat, quia apprehendit miſericordiam in Chriſto exhibitam. In hac fiducia miſericordiæ Dei incedit ne-

dit vera Ecclesia cum humili confessione peccatorum & indignitatis, quæ sperat Deum condonaturum per Christum. Hæc ille. Non igitur existimandum aut sic intelligendum est, Fidem iustos efficere propterea, quod eximia quædam & summa virtus sit. Non enim ex operibus legis, sicut Paulus scribit, Iustificabitur omnis caro in conspectu Dei. Sed correlatiue intelligenda est propositio, vt & prius est indicatum, per Filium Dei Iesum Christum habemus remissionem peccatorum & gratiam, quam fide accipimus & apprehendimus.

V.

Fides enim non est ex hominibus, sed est donum Dei ex Spiritu sancto, qui sua gratia ac verbo, hominum mentes illustrat, ut Deum cum gratia sua, Christum, eiusq; iusticiam ac salutem rectè & verè intelligant & amplectantur.

In hac Propositione dicitur de caussa Fidei, quæ est Spiritus sanctus & verbum. Nam Spiritus sanctus generali ac constituto à Deo medio, id est, ipso verbo mouet corda, & veram fidem in credentibus accendit & confirmat. Et extra hoc medium non est aliud, quo donetur nobis fides, sicut scriptum est ad Roman. 10. Fides est ex auditu, auditus vero per

verbum

verbum Dei. Vnde Augustinus ad Sixtum Epist. 105. inquit: Ita sine Spiritu fidei non rectè quisquam est crediturus. Et in libro de Prædestinatione sanctorum cap. 11. Omnia hæc operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens propria vnicuiq; ut vult, inter quæ omnia, sicut scitis, nominauit & fidem.

D. Petrus in priori Epistola cap. 1. scribit: Per fidem custodimini potentia & virtute Dei ad salutem. Hoc dicto indicatur, Fidem non hominis, sed Dei opus esse, sicut & scriptum est Iohan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit pater. Est igitur Fides non nostrum opus, sed simpliciter donum Dei, & munus ac effectus Spiritus sancti, & nobis per vocem & prædicationem Euangelij communicatur. Euangelium enim est instrumentum, per quod Deus Spiritum sanctum in corda nostra effundit, ita vt credamus, & postea fructus fidei proferamus. Apud Esaiam cap. 26. extat quoq; luculenta fidei descriptio, in qua fides insignitur illustri appellatione יֵצֶר סמוּךְ Aperite, inquit, portas & ingredietur gens iusta, custodiens fidem, quæ est cogitatio, quæ innitur (seu fulcitur verbo Dei) & obtinebit pacem, pacem, quia in te speratur. In hac fidei descriptione indicatur primum, quòd fides sit donum Dei, quia est יצר id est, nouum quasi plasma & figmentum, siue poëma Spiritus sancti, quo ex veteri homine, cuius Iezer pronum est ad malum omni tempore, facit nouum hominem, credentem in Filium Dei, & Deo patri acceptum & gratum. Secundo, quòd fides in-

des qua innititur verbo & promissioni diuinæ, sustẽretur à Deo, & seruetur in mentib. & cordibus piorum, ne in lucta & trepidationibus succumbat, sed sit & maneat firma & viua, licet etiam admodum imbecillis & modica videatur & sentiatur. Stare enim sua virtute non posset, nisi hunc haberet scipionem cui inniteretur, & munita esset hoc quasi inuicto muro, in quo tuta maneret. Quod igitur conseruamur in fide, & retinemus Spiritum sanctum, non ex nobis est, nec nobis, qui nostram imbecillitatem agnoscimus, asscribendum, quasi nostris viribus, operibus & meritis retinere possimus diuinam maiestatem, sed omnino est virtutis & potentiæ Dei curantis & defendentis ouiculas suas, nec deserentis orphanos suos.

VI.

Hæc fides est vera, viua, non ociosa, non ficta, sed occupata bonis operibus, & uegata in exercitio charitatis.

Non est dubium, Hominem gratuita Dei misericordia propter Christum fide iustificatum & saluatum, necessario deinceps vitare peccata, & nouam vitam cum lege Dei congruentem, instituere debere. Suntq; verissimæ Propositiones: Noua obœdientia est necessaria & debita. Item, Bona opera sunt necessaria: vt disertè Paulus inquit: Debitores sumus, Et, Necesse est obœdire. Et ad Titum cap. 2. dicitur: Filium Dei ideo pro nobis natum & datum

datum esse, vt abolito peccato & morte, noua iusticia & vita, cum voluntate & verbo Dei congruens, incoëtur. Nam bona opera sunt fructus fidei, Et, vt sponte bona arbor fert fructus bonos, Ita fides, quæ est fons & radix omnium bonorum, non potest non bona operari. Non est enim ociosa fides aut mortua, sed saluificans & viuificans, exercens & vrgens bona opera per charitatem, sicut Paulus testatur ad Gal. 5. dicens: Fides quæ per charitatem operatur. Quod tantum est dicere, vt exponit Lutherus, Qui vult esse verè Christianus, seu in regno Christi viuere, hunc oportet esse verè credentem. Verè autem non credit, si opera charitatis fidem non sequuntur. Hinc Paulus præscribens Timotheo, regulam vitæ Christianæ, iubet eum militare militiam bonam, retinere fidem & bonam conscientiam.

VII.

Nec tamen ea dignitas tribuenda est bonis operibus, vt credendum sit per ea homines impetrare posse iusticiam & salutem æternam, quemadmodum perperam & impiè docent Pontificij, Etsi non negemus opera bona compensari præmijs cum corporalibus tum spiritualibus.

Impius & detestandus est error Aduersariorum docentium: Hominem propter proprias virtutes & opera

opera coram Deo fieri iustum & acceptum. Paulus enim expreßè non vno in loco scribit, Ex operibus legis non iustificari ullum hominem. Et ad Gal. 2. dicit: Si per legem est iusticia, igitur Christus frustra mortuus est. Et cap. 3. Quod autem in lege nullus iustificatur apud Deum, manifestum est: Quia iustus ex fide viuet, Lex autem non est ex fide, &c.

Proposita autem esse præmia bonis operibus cũ in hac vita, tum in altera vita, testantur sequentia dicta, Matth. 5. Merces vestra copiosa erit in cœlis. Et cap. 10. Qui dederit potũ aquæ, vni ex minimis his, non perdet mercedem suam. 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia utilis est, habẽs promißiones præsentis & futuræ vitæ. Matth. 6. Quærite primum regnum Dei, & cetera adjcientur vobis. Et in Psal. 34. dicitur, quod timentibus Dominum, nõ deerit omne bonum. Sed de his, & alijs forsitan alio tempore plura dicenda erunt. Nunc agamus gratias æterno Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, pro restituta & repurgata doctrina Euangelij, quæ superiori tempore, papisticis corruptelis variè & multipliciter contaminata & deprauata fuit. Et oramus eundem clementißimum Deum, vt hanc lucem diu nobis conseruare, & nos in agnitione & confeßione Filij sui confirmare dignetur. Cui vni, soli, vero, & omnipotenti Deo sit laus, honor, victoria sæculis infinitis,

AMEN.

DE

Pœnitentia

ASSERTIONES ALIQVOT

REVERENDO COLLEGIO THEOLOGICO PVBLICA Disputatione ad examinandum propositæ in Academia Lipsensi

A

Zacharia Schiltero

optimarum artium Magistro,

Pro consequenda potestate assumendi titulum Doctoris in studio Theologico, quam uocant

LICENTIAM.

Die Augusti XXII.

Anno Christi

M. D. LXXII.

Lipsiæ Iohannes Rhamba excudebat.



I.

TEstatur historia Ecclesiæ, omnibus ætatibus præstigias obscurantes sanam doctrinam de Pœnitentia sparsas esse à Diabolo, quarum aliæ desperationem, aliæ profanam securitatem in animis hominum confirmant. Vt enim Nouatus & Meletius horumq; sectatores καθαροὶ lapsis post Baptismum contra conscientiam locum pœnitentiæ & spem consequendæ veniæ & salutis planè præciderunt, vt Eusebius refert, aut certè concessionem veniæ ministris Ecclesiæ adimendam, & soli Deo relinquendam esse contenderunt, quemadmodum Epiphanius, Ambrosius & Nicephorus tradunt: Sic superioribus annis Anabaptistæ & Antinomi tantam renatis perfectionem tribuere ausi sunt, vt dicerent, Non posse eos ruere contra conscientiam, aut certè lapsos non excutere Spiritum S. nec excidere gratia Dei, & reatu obstringi iræ Dei & æternæ damnationis.

II.

Refutatur autem utraq; hyperbole illustribus cum dictis tum exemplis scripturæ, quæ testantur neminem tam firmiter stare quin labi possit, & neminem tam grauiter labi, quin Deo manum porrigente resurgere, & in possessionem regni cœlorum uelut post liminij iure reduci & restitui possit. Ac de conuersorum lapsu mortali nota est concio Christi Luc. 12. de Spiritu immundo reuertente in domum unde exierat. Et Petri, qui post baptismum

lapsos cani ad vomitum & sui lotæ ad volutabrum reuertenti comparat 2. Pet. 2.

Rursus de lapsorum conuersione & receptione locuples testis est vox Iurisiurandi diuini Ezech. 33. Viuo ego. cuius magnitudinem epistolæ Ebræ. 6. Tertullianus in libro de Pœnitentia, & Augustinus Psal. 88. exaggerant, cui & cæteræ promissiones Euangelicæ suffragantur omnes, quarum summam Christus breui aphorismo Matth. 9. complectitur, Non ueni, inquiens, uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Nec ignota sunt exempla primorum parentum, Aaronis, Mosæ, Dauidis, Manassæ, Petri, Incesti, deniq; totius Ecclesiæ Galatarum, quæ non tantum ad minuendam hypocritarum arrogantiam, sed nos ipsos quoq; consolandos & confirmandos semper in conspectu habere utilissimum est.

Notum est insuper, cum decretum synodi Nicenæ, quo expressè damnatus est furor Nouatianorum, tum totius piæ vetustatis suauissimus consensus communi quasi decreto comprehensus, & subinde Nouatianorum delirio à sanctis Patribus oppositus, quo dicitur: Post triste naufragium naturæ humanæ duas tabulas recuperandæ salutis hominibus relictas esse baptismum scilicet & pœnitentiam. Et plena est dulcissimæ consolationis vox Chrysostomi: χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε.

III.

Ex his cum luce clarius appareat, lapsos iterum ad Deum conuerti posse, & conuersos reuera in totam arcam Noah, hoc est, in integram possessionem promissionum Euangelij recipi, deinceps quæ adu-

ram

ram pœnitentiam requirantur, & quid inter veram & adulterinam pœnitentiam interſit, breui collatione explicabimus. Veriſimum enim eſt: purpuram iuxta purpuram dijudicandum eſſe.

IIII.

Conſtat itaq; duplicis pœnitentiæ mentionem fieri in ſacris literis, veræ & falſæ, quæ in lingua Græca vocabulis μετανοίας καὶ μεταμελείας, In Ebræa verò verbis שׁוּב & נִחַם diſcernuntur. Vera pœnitentia ſignificat totam conuerſionem hominis, quæ complectitur contritionem, hoc eſt, dolorem & pauorem ortum ex agnitione peccati & ſenſu iræ DEI aduerſus peccatum, Fidem accipientem remiſſionem peccatorum propter Chriſtum & retrahentem cor ex inferis ac viuificantem, & nouam obœdientiam fructus proferentem dignos pœnitentia. Hæc omnia non fucata conuerſionis nomine comprehendi teſtatur vox Chriſti Matth. 11. Venite ad me omnes. Et parabolæ Luc. 15. Pauli concio Actor. 26. Item deſcriptio mortificationis & viuificationis apud eundem Rom. 6. Coloſſ. 3. Et dictum Iohannis Apocalyp. 2. Memor eſto vnde excideris & age pœnitentiam & prima opera fac. Falſam pœnitentiam vocamus, cui vna vel etiam altera ex his partibus vel deeſt, vel ficta & ſimulata eſt, vt in Caino, Saule, Iuda & omnibus hypocritis.

V.

Certum autem eſt hæc tria, contritionem, fidem & nouam obœdientiam non abſurdè partes pœnitentiæ dici, præſertim adhibita hac perſpicua diſtin-

ctione, quod Contritio pars quadam antecedens sit, quæ ordiatur conuersionem, Fides verò gratiam oblatam apprehendens nosq; capiti nostro Deo, à quo per peccatum seductione Diaboli auulsi eramus, agglutinans, verè pars illa, per quam sit hominis Conuersio, & in pristinum locum, vnde exciderat, restitutio, quæ propriè voce תְּשׁוּבָה significatur, sicut peccatum nomine מְשׁוּבָה quod turpem & nefariam quandam hominis à Deo conditore defectionem denotat. Quas ordine diuinitus institutæ & indissolubili nexu caussarum & effectuum sine interuallo temporum necessariò sequitur noua obœdientiæ incoatio, quæ pars quædam consequens dici potest, non quod meritum aut caussa iustificationis sit, sed inseparabilis veræ viuæ & ardētis fidei proprietas, imò efficacia filij Deï in credentibus per fidem habitantis, eosq; vt veros palmites sibi, quem fructuosissimæ viti comparat, insitos felici bonorum operum prouentu ornantis, argumentum, sicut fructus salutares bonæ arboris sunt τεκμήρια. In quam sententiam Damascenus lib. 4. cap. 9 de Orthodoxa fide scripsit: ὅλη ἡ ἀληθὴς πίστις διὰ τῶν ἔργων δοκιμάζεται.

VI.

Vt autem illustrius conspiciatur veræ pœnitentiæ indoles, breuem partium illius cum hypocritarum pœnitentia collationem instituam sumto initio à contritione, quæ primus ad sanationem animarum gradus est, sicut ad corporis sanitatem recuperandam

rundam morbi & causarum, à quibus oritur cognitio, vt Hieronymi similitudine vtar.

VII.

DE CONTRITIONE.

Possunt autem illustria discrimina vera & falsæ contritionis sumi à causarum consideratione. Verissimè enim ab Augustino dictum est: Cum pij & impij eadem faciunt non factis, sed causis discernendi sunt, Epistola 48.

VIII.

Differunt itaq; primum causa efficiente. Impij enim & hypocritæ non speciali actione Spiritus S. ad pœnitentiam agendam impelluntur, sed vel ordine naturæ conscientia sceleris excitat in cordibus eorum trepidationem & mœstitiam, vel etiam δαιμόνιοι φόβοι accedunt, quibus ceu fulminibus opprimuntur, vt Cain, Achitophel, &c. Talis est & Papistarum contritio, quam terrores non à Deo vocelegis conscientiæ incussos, sed voluntariè assumptos definit Synodus Tridentina.

Contra veram & salutarem contritionem non potest efficere voluntas humana nisi Spiritus Sanctus per ministerium Legis & Euangelij peccati magnitudinem & atrocitatem ostendat, & dolores ac pauores conscientijs incutiat, iuxta dicta 1. Samuel. 2. Dominus mortificat & viuificat, &c. Deut. 4. Deus ignis consumens est. Esa. 38. Sicut leo contriuit ossa mea. Et Ierem. 31. orat: Conuerte me Domine & conuertar. Item, Postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum.

IX.

Crescit autem & acuitur sensus peccati & dolor conscientiæ in pijs, partim sensu pœnarum tam publicarum quam priuatarũ, quarum illis omnino maior moles quam reliquæ feci generis humani certo Dei consilio imponitur, vt dicitur. 1. Pet. 4. Iudicium à domo Dei incipit: partim conspectu dignitatis victimæ filij Dei, sicut præclarè dixit Bernhardus: Ex consideratione remedij morbi mei æstimo quantitatem.

X.

Secundò, causa finali. Hypocritæ & omnes impij euentis potius quam causis euentorũ mouentur, & pœnarum sensu magis quam cogitatione culpæ excruciantur, sicut videre est in Esau amissionem primogenituræ potius quam magnitudinem offensæ Dei deplorante Ebræ. 12. Vnde Lutherus piæ memoriæ, duplicem pœnitentiam aliam culpæ aliam pœnæ fecit. Gen. 27. Pij verò in pauoribus conscientiæ Deũ ipsum præcipuè intuentur, eiusq; iram & iudicium multò magis quam vel suæ mentis vel omnium hominum iudicia expauescunt, sicut testatur exclamatio Dauidis: Tibi, tibi soli peccaui.

XI.

Tertiò causa formali. Hypocritæ etsi doloris sensu aliquando afficiuntur, præsentia tamen mala potissimum intuentur, parum admodum vel nihil potius de æternis cruciatibus solliciti: nec tribuunt Deo laudem iustitiæ in magnis pauoribus, sed irascuntur Deo & fremunt aduersus eum iudicantes se indigna pati, & peccata sua fucosis prætextibus

tuentur

mentur, & excusant suæ potius quam Dei gloriæ consulentes, sicut docet historia Saulis 1. Samuel. 15

Oritur autem hæc indignatio & fremitus hypocritarum ex falsa persuasione iustitiæ quam sibi propter vmbram externorum operum arrogant & ignoratione morbi originalis. Quanquam enim externa delicta vtcunq; agnoscunt & deplorant: tamen interiorem immundiciem, ignorationem Dei, habitationes de voluntate Dei, carnalem securitatem negligentem iram & iudicium Dei, flammas immissi odij, æmulationis, superbiæ, inuidiæ, vindictæ non agnoscunt, ac ne peccata quidem esse iudicant.

XII.

Hac hypocrisi nihilo melior est contritio monachorum & omnium pōtificiorum duobus teterrimis erroribus contaminata, Primùm quod sufficiens esse possit, cum tanta sit naturæ imbecillitas, vt ne aduersus vnum quidem peccatum dolorem magnitudini illius parem sustinere possit & experientia ipsa docetur, quo magis crescit dolor sine consolatione, eò magis mergi mentes in desperationem & ruere in exitium sempiternum. Ideo & Dauid exclamat Psal. 90. Domine, quis nouit potentiam iræ tuæ? Deinde quod mereatur gratiam, quæ est manifesta contumelia in Christum.

XIII.

Ab hac simulata contritione eximio discrimine distat contritio Dauidis, qui est imago omnium piorum. In ea enim hæc tria concurrunt. Primùm non mera vera agnitio peccatorum. Nam Dauid nō tantum fructus, sed etiam radicem & fontem pec-

cati, hoc est, inobœdientiam tam originalem quam actualem, atq; adeo totam massam naturæ suæ veneno peccati infectam agnoscit, cum inquit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Deinde in vocabulo peccati relationem considerat, seq; iræ & iudicij diuini propter peccatum reum esse statuit, neq; tam pœnas huius vitæ, quæ breues & momentaneæ sunt, quam cruciatus nunquam finiendos meritum se esse intelligit, cum inquit: Quoniam iniquitatem meam cognosco.

XIIII.

Secundò, Verus dolor & sensus iræ Dei, de quo dicitur Ioël. 2. Scindite corda vestra & non vestimenta. Dauid .n. non tantum Deum iratum peccatis uerè statuit, sed etiam iram illius in ueris doloribus cordis sentit, & initia ac gustum dolorum mortis ac terrorum inferni in hac vita reuera percipit, sicut Psalmi pœnitentiales ostendunt. Nec est momentaneus hic dolor, sed perpetua & continua mortificatio peccati, vt Augustinus ait. Etsi autem hi dolores in alijs acriores in alijs remissiores existunt: aliquos tamen ab omnibus in vera conuersione degustari necesse est. Non .n. promissio Euangelij efficax esse potest in securis hominib. uarijs flagitijs & sceleribus sese polluere non desistentibus. Nec conspici potest magnitudo beneficiorum filij Dei liberantis nos ab æterna morte & damnatione & restituentis æternam iustitiam & vitam, nisi peccatorum & iræ Dei sensu perterrefactis & prostratis conscientijs, iuxta illud Christi: Sani non indigent medico, sed ægroti.

Ter-

XV.

Tertiò requiritur ad ueram Contritionem confessio peccati coram Deo siue corde siue ore fiat. Dauid enim ueris doloribus oppressus non tegit sordes suas inuolucris, neq; blanditur sibi extenuatione lapsum, tantum abest, vt Deum accuset tyrannidis, aut cum eo expostulet, sed ingenuè & sine simulatione fatetur culpam, & tribuit Deo laudem iustitiæ & bonitatis in pœnis, vt ex Psalmis constat. Talis est confessio Danielis cap. 9. Publicani Lucæ 18. Filij perditi Lucæ 15. Mauricij Imperatoris ex psal. 119. De hoc genere confessionis memoria digna est vox Bernhardi Sermone 13. super Cantica: Melior est in malis factis humilis cõfessio, quàm in bonis superbagloriatio. Verum hîc propter corruptelas pontificias de confessione quædam altius repetenda & uberius explicanda sunt.

XVI.

Necessariam esse talem quandã quæ coram Deo immediatè fit, confessionem, mandatum Dei conuincit Prouerb. 28. Syracidæ 4. 1. Iohan. 1. Neq; reprehendi potest vetus Ecclesiæ consuetudo, quæ ab exemplo Achan Iosuæ 7. & incesti 1. Cor. 5. & 2. Cor. 7. originem traxisse uidetur, qua publicorum criminum rei & ἀκοινώνητοι redituri ad Ecclesiam confitebantur delicta sua coram tota Ecclesia, quæ & condonabantur petentibus & emendationem promittentibus, quæ passim à scriptoribus Ecclesiasticis Irenæo, Tertulliano, Eusebio, & alijs Ecclesiæ commendatur, non quod sine ea remissio peccatorum à Deo impetrari non possit, sed quod ad explo-

explorationem ſerij doloris eorum qui culpam deprecantur & commonefactionem aliorũ, vt in cauendis lapſibus diligentiores ſint, non parum momenti afferat. Neq; negamus confeßionem offenſionis & petitionem reconciliationis apud offenſos iure diuino neceſſariam eſſe, quæ pars quædam eſt vel contritionis vel nouæ obedientiæ, ſicut teſtatur Chriſtus Matth. 5. & 18. & Iacob. 5. Ac meritò laudamus ſeueritatem Victoris Aphri, quem nolentes cum proximo in gratiam redire publico edicto ab vſu ſacratißimæ cœnæ arcuiſſe memoriæ proditum eſt.

XVII.

Verùm confeßionem auricularem, quæ eſt perfecta ſingulorum in ſpecie etiam arcanorum delictorum iuxta circumſtantias omnes coram ſacerdotibus enumeratio, quæ in Eccleſijs pontificijs multis ſeculis iam dominatur, aperte reijcimus, non modo quod per ſe vaniſſima ἐθελοθρησκεία ſit, ſed etiam ad abſolutionem priuatam, quæ non ratione iurisdictionis aut ſpecialis cognitionis, ſed reſpectu miniſterij fit, planè inutilis & non neceſſaria, & ad nundinationem indulgentiarum, quæ ſunt tetra & impia auaricia Romana aucupia potius quam ad Dei gloriam & ſaluiem hominum directa. Imo propter impoßibilitatem diabolica quædam carnificina opprimens conſcientias deſperatione & in exitium præcipitans ſempiternum. His accedit impia opinio cultus, neceßitatis et meriti vitæ æternæ, partim propter verecundiam, partim propter perfectionem operis, quæ inprimis aſſumentium eſt

odio

odio & execratione omnium piorum dignißimum.

XVIII.

Nequaquam autem in eam hac accipienda ſunt ſententiam, quaſi confeßionem ſecretam, in qua fit profeßio in genere de peccato, aut etiam quorundam in ſpecie delictorum confeßio editur, libera voluntate & ſine opinione neceßitatis de iure diuino aut meriti ad ſalutem & ſine cæteris conſcientiarum laqueis, propterea quod ſua natura ſit ἀδιάφορος, plane ex agro & finibus Eccleſiæ exterminatam velimus, ſicut quidam ſine diſcrimine omnia diſciplinæ Eccleſiaſticæ vincula commemorabili maiorum pietate & ſapientia inſtituta intolerabili audacia & temeritate non modo laxare, ſed planè tollere & abolere ſolent, quæ potius à ſuperſtitionibus & ludibrijs pontificijs vindicanda, & ad pios vſus reuocata diligenter in Eccleſia retinenda erant.

Rectè enim hanc & laudabiliter in Eccleſijs emendatis retineri poſſe ſtatuimus propter petitionem priuatæ abſolutionis, ad quam et generalis profeßio peccati & ſignificatio veri doloris ac boni propoſiti & exploratio iudicij auditorum de doctrina neceſſaria eſt, ne rudes aut perſeuerantes in manifeſtis delictis aut impij deriſores ad vſum cœnæ admittantur contra præceptum: Nolite ſanctum dare canibus.

Quin & priuata inſtitutio de multis magnis rebus, quarum conſideratio in conuerſione neceſſaria eſt, & exhortatio ſingulorum ad emendationem pro ætate & vitæ genere et fidelis conſilij ac ſalutaris

lutaris consolationis in angoribus conscientiæ suggestio, quæ fit in priuato illo colloquio, confitentibus per quam vtilis & fructuosa est. Huc accedunt exempla priuatæ confessionis in sacris literis proposita, vt Dauidis 2. Samuel. 12. auditorum Baptistæ Matth. 3. Peccatricis Luc. 7. Zachæi Lucæ 19. & præcipuorum tam latinæ quam Græcæ ecclesiæ luminum manifesta comprobatio, de quibus Cypriani Basilij & Chrysostomi testimonia omnibus notissima sunt. Atq; hæc de contritione proposita esse sufficiat.

XIX.

DE FIDE.

Caterum mens perterrefacta sensu peccati & iræ DEI non succumbat desperationi nec fugiat Deum, sicut Cain imago omnium hypocritarum, sed audiat vocem euangelij, cuius consolatione erecta & animata duce filio Dei mediatore, per quem παῤῥησίαν & accessum ad patrem habemus cum fiducia, læta à Deo irato ad misericordem confugiat vera FIDE per & propter filium remissionem peccatorum & cætera bona in Euangelio promissa accipiens.

Ac vt corpus sine anima cadauer putridum est: ita pœnitentia sine hac fide iustificante & viuificante exitialis est vel desperatio vel hypocrisis quemadmodum Paulus vocabulo doloris mundi 2. cor. 7. & Rom. 8. voce timoris seruilis, & Ioan. cap. 4. Canon. ostendunt, vnde vsitata doctrina de duplici timore seruili & filiali extructa est.

Et

Et manifestum est Filium Dei missum in hunc mundum, non vt oppressi ira Dei ruamus in aeternum exitium, sed vt reconciliati sanguine illius rursus donemur iustitia & vita aeterna. Et ne liberum nobis esse existimemus, vel fide nos erigere vel desperationi succumbere, propositum est aeternum & immotum mandatum: Hunc audite. Item, Confide fili.

Addita est & vniuersalis promissio eaq; iureiurando diuino confirmata, ne fluctibus dubitationum opprimamur: Viuo ego.

XX.

Cum autem pontificij & omnes hypocritae de fide quoq; glorientur, & tamen fumos pro igne vendant, operaeprecium fuerit veram à ficta & mortua fide accuratis limitibus seiungere, quo vera fidei indoles conspiciatur illustrius. Differunt autem quatuor modis potissimum.

XXI.

Primum praedicamentis & subiectis in quibus hoerent. Fides hypocritarum est absoluta qualitas spectiosa notitia doctrinae & meritorum Christi in mente sine affectu cordis. Quae fides historica dicitur. Et talis fides est pontificiorum dubitantium de gratia Dei, de qua postea dicetur. Fides vera est relatiuum quiddam. Quia non est tantum illustris notitia Euangelij & firma assensio in mente, sed etiam firma fiducia in voluntate & corde certo statuens, non tantum ad alios, sed ad nos ipsos etiam pertinere promissionem gratiae & remissionis peccatorum, vt Bernhardus monet sermone 1.

ne 1. de annunciat. Mariæ, quemlibet credere oportere non alijs tantũ, sed sibi ipsi quoq; peccata remitti, idq; Spiritus S. testimoniũ propriũ esse quod perhibet in corde nostro dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. 1. Talis fides lucet in Iobo: Scio quod redemptor meus uiuit. Et in Thoma: Dominus meus & Deus meus. Secundò, efficiente caussa. Fides vera est ἔργον τοῦ πνεύματος Gal. 5. Fides hypocritarum & dæmonum est opus rationis sine Spiritu sancto. Tertiò, effectibus. Fides vera affert pacem cum Deo & accessum ad eundem cum confidentia Rom. 5. Ephes. 3. viuificat & saluat Abac. 2. 1. Pet. 1. Effectus fidei simulatæ & mortuæ sunt horribilis pauor & fuga Dei, imo fremitus & furor aduersus Deum, qualis est in dæmonibus Iacob. 2. Saule et omnibus impijs. Quartò, Fides hypocritarum intuetur tantum communia obiecta, iustitiam, veritatem & omnipotentiam Dei parum solicita de gratuita misericordia Dei propriè & peculiariter in Euangelio promissa propter Christum. Tali fide Patres transierunt mare rubrum, in quibus nõ fuit beneplacitum Domino, 1. Cor. 10. At fides iustificans non tantum apprehendit communia illa obiecta, sed principaliter intuetur, accipit sibiq; applicat promissionem euangelij propriam de gratuita bonitate Dei remittentis peccata, adoptantis & acceptantis personam credentem ad societatem vitæ æternæ propter filium mediatorem crucifixum, resuscitatum & regnantem. Et vt propter hunc articulum cæteros fidei articulos omnes assensu amplectitur: ita hunc cæteris etiam omnibus amis-

sis firmissimè retinet in eoq; suauissimè acquiescit iuxta illud: Etiamsi occiderit me Dominus, tamen sperabo in eum. Ideo Augustinus veram fidem à fucata per posteriores tres symboli articulos rectissime discernit.

XXII.

Etsi autem hæc fides in omnib. pijs fluctib. & procellis diabolicarum tentationum de indignitate et particulæritate, quæ ex cognitione legis & iudicio rationis oriuntur hostiliter oppugnatur: expugnari tamen non potest quatenus in vocem Euangelij firmiter defixa est, quæ testatur GRATIS remitti peccata propter filium, & propter hunc recipi OMNES agentes pœnitentiam.

XXIII.

Procul igitur hinc facessant labyrinthi scholasticorum & pontificiorum, qui fidem iustificantem à pœnitentia planè separant, sicut multæ descriptiones pœnitentiæ de fide planè mutæ testantur citatæ distinct. 3. Canon. de pœnitentia & à Longobardo lib. 4. distinct. 14. nec vllam certam consolationem conscientijs ostendunt, imò nullum prorsus consolationi locum in pœnitentia relinquunt contrariã doctrinam sanguine scriptis decretis sanctæ Synodi Tridentinæ stabilientes, quæ iubet dubitare de remissione peccatorum, quæ re ipsa non minnus quàm Nouatianorum furor, horribiliter delet Euangelium, conijcit mentes in desperationem, languefacit inuocationem, & in securis confirmat Epicureum Dei contemtum.

XXIIII.

Callidè autem hoc impium dogma de dubitatione ad stabiliendum quæstuosissimum commentum directum est, quò impudentissimè & sceleratissimè fingunt

aulæ Romanæ adulatores, remitti quidem culpam in conuersione propter contritionem & confessionem sufficientem, sed pœnas æternas mutari in pœnas huius vitæ vel purgatorij, & harum partem remitti potestate clauium, partem redimẽdam esse satisfactionibus, quarum specioso titulo ornantur opera indebita, vt peregrinationes, vota, rosaria, ieiunia stata, cooptatio in collegium monachorum, missæ funebres, & vigiliæ, indulgentiæ relaxantes canones satisfactionum, denique tota Ilias traditionum pontificiarum.

XXV.

Vt autem non damnamus simpliciter veteracula satisfactionum in publica pœnitentia, quæ a maioribus non propter culpæ aut pœnæ remissionem à Deo consequendam, sed propter disciplinam ecclesiæ, vt aliquoties testatur glossa in canonibus, pio et salutari consilio instituta, & sine vlla deprauatione purę doctrinæ & sanctæ religionis diu vtiliter obseruata fuisse constat: ita tragœdiam satisfactionum pontificiarum, vt vanissimam ἐθελοθρησκείαν & monstrosam quandam veræ ac salutaris pœnitentiæ in politicam imò hypocriticam quandam satisfactionem μεταμόρφωσιν, & multiplicium errorum ac manifestarum in filium Dei blasphemiarum μυριμηκίαν & lernam, procul ex Ecclesia pellendam iudicamus.

XXVI.

Primum enim commentum satisfactionum pontificiarum doctrinam de lege obscurat. Non enim tantum fingit legi hominem posse satisfacere per externa & ciuilia opera, sed addit etiam velut ἐπίαγμα legi traditiones humanas, hoc est, certum numerum pœnarum deeme-

eleemosynarum, ieiuniorum, &c. & hæc opera præcepti decalogi anteponit tribuens eis laudem supererogationis.

XXVII.

Deinde honorem propitiationis soli filio Dei proprium, cuius mors tantum satisfactio pro peccatis est, vt Ambrosius ait, operibus illis indebitis tribuit Christum plane ociosum & tanquam κῶφον πρόσωπον in iustificationis negotio relinquens.

XXVIII.

Tertiò remissionem pœnarum æternarum à condemnatione culpæ distrahit contra dicta: Qui credit in filium Dei non iudicatur. Item, nulla nunc est condemnatio his qui sunt in Christo Iesu.

XXIX.

Quartò remissionem pœnarum huius vitæ cum remissione culpæ vinculo indissolubili copulat contra manifesta exempla primorum parentum, Dauidis, & omnium piorum, qui cum alijs calamitatibus, tum morti obnoxij sunt, quam Paulus stipendium peccati nominat. Harum pœnarum in pijs Augustinus causam exponit, cum inquit: Productior est pœna quam culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.

XXX.

Quintò causas pœnarum huius vitæ peruertit, quæ pijs infliguntur, non vt sint merita, cõpensationes aut satisfactiones pro peccatis præteritis aut pœna æterna, vt satisfactionũ architecti somniãt, sed vt his qui eas perferunt paternæ cõmonefactiones sint de peccato et ira Dei et impedimenta seu προφυλακτικὰ graviorũ lapsuum ac sordium in carne hærentium expurgationes: contra

verò fidei, timoris Dei, patientiæ, spei, inuocationis, et similium virtutum δοκιμασίαι καὶ ἀγωνίσματα quem admodum dulcissimè philosophantur Basilius & Nazianzenus, vel etiam μαρτύρια vt Lucæ 21. vel occasiones gloriæ Dei vt Iohan. 9. & 11. scriptum est: Spectatoribus verò ὑποδείγματα iræ Dei aduersus peccatum, καὶ παίδευσις τῶν ἀσθενεστέρων ἐν ἁγίοις μανθανόντων τὸ καρτερεῖν, ἀλλὰ μὴ ἐκκακεῖν τοῖς πάθεσι, secundum eundem theologum Gregorium in oratione de suo patre.

XXXI.

Vltimò deprauat & causſam propter quam auertuntur & mitigantur pœnæ in hac vita. Hæ enim vt non imponuntur, ita nec tolluntur aut minuuntur potestate clauium aut impijs ritibus commentitiarum satisfactionũ, sed gratuita Dei bonitate auferuntur propter filium Dei instar vmbraculi tegentem sordes & infirmitates eorum qui conuertuntur ad Deum Esa. 4. quanquam ipsum studium bonorum operum in conuersis amplissimis quoq; præmijs in hac vita compensari à Deo, non quidem propter operum dignitatem & perfectionem, sed ex gratia, notum est ex historia Niniuitarum, Ezechiæ & aliorum.

Quod autem prouerb. 10. Tob. 4. & alibi scriptum est, eleemosynam liberare à peccato, id συνεκδοχικῶς de pœna peccati in hac vita, & de tota conuersione intelligendum est. Sed infinitum est chaos mendaciorum, & scelerum commentum monachorum de satisfactionib. quorũ aliqua notasse hoc tempore satis sit.

DE

DE NOVA OBOEDIENTIA.

Porrò cum fides conuersorum non sit mortua neq; ἀκαρπος, sed viua ardens & per dilectionem efficax Gal. 5. neq; consistere cum lapsibus contra conscientiam neq; retineri cum his gratia, aut Spiritus sanctus aut vita aeterna possit: necesse est in doctrina de pœnitentia, non solum contritionis & fidei, sed etiam boni propositi, seu nouæ obœdientiæ seu iustitiæ bonæ conscientiæ, quæ suauissimos fructus fidei profert, pietatem erga Deum, integritatem vitæ priuatæ, caritatem erga proximum, & sedulitatem in vocatione, sicut Paulus Tit. 3 monet, mentionem fieri, præsertim cũ vocabulum ipsum μετάνοια significationem mutationis animi atq; mentis prioris seu veterum consiliorum, studiorum & conatuum præ se ferat.

XXXIII.

Sumuntur autem non minus euidentia piorum & hypocritarum discrimina, ex vitæ nouitate, quam ex cæteris partibus pœnitentiæ.

Primùm enim qualitate obœdientiæ differunt. Hypocritæ interiorem immundiciem cordis foris simulatæ pietatis & iusticiæ inuolucris tegentes, & quasi velis quibusdam obtendentes non sunt dissimiles sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, omniq; spurcitia Matth. 23. aut ficui ostentanti folia sine fructibus Matth. 21.

At in pijs incoatur nouitas spiritus, hoc est vera & non simulata obœdientia, tam interna quam externa,

quæ consistit in ardenti dilectione Dei, & puro amore proximi iuxta dictum, dabo legem meam in corda eorum Ierem. 31.

XXXIIII.

Secundum discrimen consistit in perseuerantia. Vt enim præficæ conductæ ad funeris deductionem miserè terendo oculos falsas, facileq; arescentes lacrymulas exprimunt: ita hypocritæ fidem & pœnitentiam ad tempus simulant, & paulò post ad priora vitia redeunt, sicut canis ad vomitum 2. Pet. 2. Contra certissimum signum seriæ pœnitentiæ est perseuerantia in fide, spe, caritate, iuxta illud Matth. 10. Quisquis ad finem perseuerauerit, saluus erit. Neq; imaginandum est renouatam spiritus talem mutationem esse, quæ vno momento absoluatur & perficiatur, quæ ad omnem vitam renatorum pertinet. Ac vt agnitio peccati & dolor et lux ac robur fidei subinde crescit & augetur: ita & illa sua tam initia quàm progressus & incrementa habet in hac vita, quamuis in magna infirmitate carnis vt 2. Cor. 3. 4. 6. 7. aliquoties asseritur.

XXXV.

Tertiò, caussis distinguuntur. In hypocritis duæ caussæ, externam disciplinam efficiunt, vid. mens intelligens officia virtutis & perpendens caussas colendæ virtutis. Et voluntas obtemperans recto iudicio mentis, & frenans externa membra, ne ruant contra rectam rationem. Obœdientia verò renatorum non regitur notitijs tantum naturalibus, sed accenditur, regitur & conseruatur à filio Dei per S. sanctum, regenerantem cor & flectentem omnes vires ad obœdientiam Dei, per ministerium verbi & vsum sacramentorum, iuxta dictum:

Qui

Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filij Dei. Sed de causis conuersionis alibi dicitur commodius.

XXXVI.

Postremo. Hypocritæ beatos se esse existimant, & alios ex alto despiciunt, propter vmbram externorum operum, vt videre est in Pharisæo Lucæ 18. & omnibus monachis, qui non aliter atq; furiosi torquibus cupreis aut coronis stramineis ornati altum spirant, & se reges esse putant, ac nominari gestiunt.

Pij verò, etsi norunt incoatam obœdientiam, & placere Deo προκοπτούσης τῆς πίστεως, vt Euagrius dixit & amplissimis præmijs cum in hac tum in altera vita ornari 1. Tim. 4. tamen non attollunt supercilium propter hanc miseram, mutilam & immundam iusticiam, quam propter inhærentium peccatorum sordes & fœces, panniculis laceris & sanguine puerperæ horribiliter deturpatis, Esa. 64. imò ipsis immundissimis & fœdissimis massis abortu editis. 1. Cor. 15. intelligunt non esse dissimilem: neq; opponunt eam iræ & iudicio Dei, sed quotidiè petitionem remissionis peccatorum repetunt, nudos se destitutosq; omni merito & dignitate coram illo prosternentes, vt dicitur Psalm. 32.

XXXVII.

Huius doctrinæ instar Lydij lapidis minimè fallentibus indicijs scoriam, hypocritarum ab argento piorum discernentis apparet vsum in Ecclesia esse nonnullum, ne ἀμεταμέλητοι falsa persuasione veræ pœnitentiæ sibi blandientes in exitium sese conijciant sempiternum.

A Deo igitur salutaris conuersionis autore doctrinam de vera pœnitentia in animis nostris obsignari ardenter petamus, nosq; Spiritu sancto accendi & gubernari,

nari, vt eam in tota vita nostra, quæ perpetua pœnitentiæ agon & actus esse debet, ad eximiũ quendam vsum conferamus, magnoq; caueamus studio, ne sterilis & infrugiferæ arboris instar folia sine fructibus ostentantes causſam Deo transferendi regnum ſuum ad gentem dignos, & non ſimulatos fructus pœnitentiæ facientem præbeamus, cui ſoli & vero Deo ſit laus, honor & victoria in omnem æternitatem.

AMEN.

De Homine

DISPVTATIO

PVBLICE PROPOSITA

in Academia Lipsica

Ad diem XXV. Mensis Septembr.

A

Michaële Barth

Annæbergensi Collegij Philosophici Decano.

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA

EXCVDEBAT ANNO

Christi Iesu

M. D. LXVIII.

EPIGRAMMA AD DIOGENEM.

Diogenes accende tuam sub Sole lucernam
Et populosa cito per loca curre pede:
Mox rediens: homines humano in corpore uiuam
An pecudes plures? dic mihi Diogenes.

DISPVTATIO
DE HOMINE.

Caput I.

SAlutaris & diuina commonefactio: γνῶθι σεαυτὸν cuiuscunq; illa sit, quam quidam ad Homerum autorem retulerunt, alij ad Pythagoram, alij ad Thaletem, alij ad Chilonem, plurimi ob præstantiam ad Apollinem cuius templi foribus præscripta fuit, quam & Satyricus ait è cœlo descendisse: ea inquam cum alia monet, tum abundè nos inuitat ad naturæ nostræ diligentem contemplationem suscipiendam prosequendamq;.

II.

Neq; vero in ea multum proficimus sine Deo, vnde quidam verè homo intuens sese, inter cætera sic Deum precando affatur:

Largire ergo mihi Rex ô dignissime Regum
Vt te cognoscam, & placeam tibi, deinde sciam me,
Quid sim, qua in terris caussa productus, & vnde
Huc ueni, ac tandem quo vita functus abibo.

EPIGRAMMA
AD DIOGENEM.

Diogenes accende tuam ſub Sole lucernam
Et populoſa cito per loca curre pede:
Mox rediens: homines humano in corpore uiuam
An pecudes plures? dic mihi Diogenes.

DISPVTATIO DE HOMINE.

Caput I.

SAlutaris & diuina commonefactio: γνῶθι σεαυτὸν cuiuscunq; illa sit, quam quidam ad Homerum autorem retulerunt, alij ad Pythagoram, alij ad Thaletem, alij ad Chilonem, plurimi ob præstantiam ad Apollinem cuius templi foribus præscripta fuit, quam & Satyricus ait è cœlo descendisse: ea inquam cum alia monet, tum abundè nos inuitat ad naturæ nostræ diligentem contemplationem suscipiendam prosequendamq;.

II.

Neq; vero in ea multum proficimus sine Deo, vnde quidam verè homo intuens sese, inter cætera sic Deum precando affatur:

Largire ergo mihi Rex ô dignissime Regum
Vt te cognoscam, & placeam tibi, deinde sciam me,
Quid sim, qua in terris caussa productus, & vnde
Huc ueni, ac tandem quo vita functus abibo.

III.

Huic igitur curæ incumbere omnes homines, par est, & ei ego insistens, vt quamplurimos ad eam inuitarem, disputandi munus, vel onus potius, sumsi ipse non grauatim, deq; Homine, cuius magna vis est, magna ratio, magnum sacramentum, ad disserendum quædam proponere volui.

IIII.

Etsi autem in rei considerationem intentus, non magnopere laboro de Vocabulis: tamen cum nomina sint notæ rerum, vnde & ipsis nomen factum putatur, nomina etiam intuemur, præsertim rei naturam denotantia, & huic vim atq; argumenta conferentia.

V.

Hominem Græcis ἄνθρωπον dici existimarunt quidam, quod sit quasi ἄνω ῥέπων, ἀνωρωπόστις ὤν. Alij ab ἄνω & τρέπω fecerunt, Socrati apud Platonem dicitur, quasi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπεν. Alijs ex ἄνω ἀθρέω ὤπα, vt sit quasi ἄνθρωψ ἄνθρωπος. Quibusdam παρὰ τὸ ἀνωθρεῖν. Rursus alijs παρὰ τὸ δρῶ vt sit ἀνδρωπος, ἢ παρὰ τὸ ἕναθρον ἔχειν τὼ ὄπα,

ἢ παρὰ

ἢ παρὰ τὸ ἀνθηρὰν ὅπα ἔχειν. *Latinis ab humo dici plarisque placuit, quod ex terra humecta sit ortus, & Adami nomen significare Hebrais terrigenam accepimus. Quidam Latinæ appellationis Græcam originationem exquirentes ab* ὁμῶς *esse & dici voluerunt hominem, quod sociale sit animal. De quibus per se magnopere non laboramus: Quantum vero ad rem horum rationes quædam congruant uel non congruant, in sequentibus patescet. Primum autem omnium de hominis origine disseremus.*

VI.

Originem enim homini attribuimus, alieni ab opinione eorum, qui ab æterno extitisse homines, neq; ortus sui principium habuisse, temere crediderunt.

VII.

Quod enim interit, id ortum etiam sit necesse est, neq; hic patet ullum effugium.

VIII.

Adde quod ultra id tempus, quo literarum testimonijs atq; autoritate doceri potest, ex-

titisse homines, quod est non multorum millenorum annorum, nihil potest demonstrari amplius.

IX.

Quod si quis non dico ante centies mille annos, sed ante decies mille saltem fuisse etiam homines contendit, ostendat aliquod monimentum uel operis uel ingenij, uel testimonium quodcunq;.

X.

Nam si semper homines, aut diutius saltem quam ex Mose antiquissimo & sanctissimo scriptore colligimus, fuerunt: semper etiam artes, semper quædam gesta fuerint necesse est. Dicat igitur quæ bella gesta sint, qui Reges uel Principes fuerint?

XI.

Quod si diluuia etiam & cataclysmos aliquis fingere uelit, à quibus sublata sint omnia: ab eo quæram: An fuerint diluuia illa uniuersalia, an particularia? Si uniuersalia fuerunt, vnde homines postea superstites? An ex lapidibus à Pyrrha & Deucalione iactis denuo ortos esse credamus? Si particularia, cur seruati vi-

ciui

cim de perditis populis nihil testatum posteritati reliquerunt?

XII.

Scilicet Chaldæos audiamus, iactitantes se quadringenta septuaginta millia annorum monimentis comprehensa habuisse? qui cum se argui posse non putarent, liberum sibi crediderunt esse mentiri.

XIII.

Aut aliarum quarundam gentium calculis mouebimur? quæ plures saltem annos quam ex Mose colligimus numerarunt, cum magna annorum diuersitas doceri facile possit: Nam & Arcadum annos trimestres fuisse scimus, Ægyptiorum menstruos, aliorum alios. Nobis vero de Solaribus sermo est.

XIIII.

Iam cum cœperit homo, ex seipso certè nõ cœpit, Nihil enim efficit se ipsum, Ortus igitur est, vel conditus.

XV.

Ortus si est homo, modus ortus quis fuit? An cum Epicuro & Democrito ineptiendum nobis, statuendumq́, vt alia omnia, sic hominem quoq; ex minutorum seminum fortuito concursu coysse? Absit, Melius enim esset tacere, quam in Philosophiam tam inanem habere linguam. Et hoc si ita esset, sine sexus vtriusque congressu adhuc quotidie homines nascerentur, sine ouis volucres, & oua sine partu, &c.

XVI.

Epicurus quaniam displicet, Empedoclem non magis Poëtam quam Philosophum nunquid audire libet? qui ita natos homines ex terra asseruit primum, vt nascitur blitum.

XVII.

An vero Anaximandrum potius & illos? qui vt cætera animalia, sic hominem etiam ex terra enatum esse hoc modo delirarunt: Quum terra, inquiunt, ardore Solis primum densata esset, vi caloris superficies eius tumefacta est, & multis in locis humores concreuerunt, in quibus putredines tenuibus contectæ pel-

liculis

liculis excitatæ sunt, sicut in paludibus & stagnis Ægyptijs, postquam frigidam terram subito aëris æstus calefecit: Tum vero in humidis calore adhibito generatio facta est, & noctu quidam circumfusus aër humorem præstitit, qui in die Solis virtute consolidatus fuit: Tandem putredines illæ ad summum perductæ adueniente veluti partus tempore, exustis confractisq; peliculis omnis generis animantium eduxerunt formas, ex quibus quæ maiorem calorem sortita erant, superna petierunt, & volatilia sunt facta, quæ plus terræ continuerunt, serpentia & terrestria euaserunt, Naturam aquosam nacta, in sui generis elementum delata pisces appellata sunt. Atq; inter illa natus etiam est homo.

XVIII.

Et simili ferè modo, non solum Lucretius orta, sed & Ouidius reparata esse scripsit animalia post diluuium cætera quidem, sed hominem ex lapidibus reduxit, secutus Thessalorum figmentum, qui se ex lapidibus ortos fuisse dixerũt, unde & λαὸς populos dici existimant, facta deductione ex λάας vel λᾶς quod lapidem significat.

XIX.

Idem etiam Ouidius alibi homines è fungis pluuialibus eduxit, ex sententia Corinthiorum, vt & è serpentis dentibus alibi.

XX.

Sed forte uidentur sibi aliquid etiam illi dixisse, qui à superiorum sententia non prorsus alieni, alia tamen sensui suo admiscuisse uidentur. Certis conuersionibus cœli & astrorum motibus dixerunt hi maturitatem quandam extitisse animalium serendorum: itaq; terram nouam semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in vterorum similitudinem protulisse, cum quibus & delirans ait Lucretius:

Crescebant vteri terræ radicibus apti &c. eosq; cum maturassent natura cogente ruptos animalia tenera profudisse. Deinde terram ipsam humore quodam qui esset lacti similis exuberasse, eoq; alimento animantes esse nutritos.

XXI.

Neq; vero de cæteris tantum animalibus, sed & de homine locutus est Lucretius, nam & addit:

maternus

——maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creauit
Humanũ, atq; animal prope certo tempore fudit
Omne. &c.

XXII.

Horum igitur quædam, an omnia, an nihil istorum omnium credemus?

XXIII.

Ennianum probamus Neoptolemum: Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet.

XXIIII.

Redarguamus igitur potius, quod facile est, quàm comprobemus istas ineptias & nugas. Quarum assertores si quis urgeat, ad quas non confugient absurditates?

XXV.

Si quomodo sic generata animalia & homines potuerint euitare vim frigoris, & caloris, aut quomodo nasci omnino potuerint quis quærat, cum frigus astringeret, sol exureret? Non erant, inquiunt, in principio mundi hyems & æstas, sed ver perpetuum, & temperies aquabilis.

Quid

Quid enim dixit aliud Lucretius in his?
At nouitas Mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras.

XXVI.

Si cur nihil horum nunc fieri uideamus, perconteris? semel tantum fieri necessarium fuisse audies, vt animalia nascerentur. Postquam vero ita extiterunt, concessam his facultatem generandi, & temporis conditionem mutatam esse, & terram parere desysse, scilicet:

Destitit vt mulier spacio defessa vetusto.

XXVII.

Addent etiam hanc explicationem aliqui: Terram progredicnte tempore ex Solis ardore & ventis magis magisq; arescentem, à tali generatione desysse.

XXVIII.

O mendaces, nihil aliud agentes, quam vt tollatis prouidentiam. Dicite quid est in toto mundo quod non persistat in suo naturali ordine & cursu? Hoc si ostenderitis deliberationem nouam suscipiemus, an vestris aliquid tribuendum sit nugis.

Natu-

XXIX.

Natus secundum vestra figmenta infans terrigena, quem necesse fuerit multis mensibus iacere proiectum, donec se loco mouere posset, uel terra sordibus suiq; corporis purgamentis obrutus & corruptus fuisset, vel educatorem habuerit necesse est, hunc vero quem ostendetis? Nisi forte omnes teneri nati non sunt, sed statim grandes quidam, quod cur non addideritis miramur.

XXX.

Sed satis se dixisse arbitratur Lucretius cum ait:

Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
Prebebat, multa & molli lanugine abundans.

XXXI.

Mendacia igitur, &, in deploranda cœcitate, figmenta nugatoria vestra dimittentes: nec semper fuisse homines, nec à seipsis esse factos, nec fortuito, nec tali aliquo expositorum modorum, neq; alio ullo spontaneo nos extitisse statuimus: Sed ab artifice nostro ac parente Deo rerum omnium machinatore atq; effectore, artificio diuina mentis nos esse fabricatos, quemadmodum

dum Dei amicus Moſes ductor Iſraëlitarum à Deo ipſo edoctus expoſuit, & multi homines imaginem ſapientiæ tuentes literarum cœleſtium expertes, & à veritatis Iudäicæ atq; Chriſtianæ noticia remoti mentis lumine peruiderunt atque perſcripſerunt.

XXXII.

Inter quos M. Cicero: Hoc animal, inquit, prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, quem uocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſt à ſummo Deo, &c.

XXXIII.

Illius igitur opus ſumus quicquid ſumus, ipſe non ſolum corpus effinxit, ſed animam etiam qua viuimus, quaq; intelligimus nobis inſpirauit.

XXXIIII.

Faceſſat itaq; hinc à Poëtis etiam decantatus plaſtes Prometheus, per quem tamen homines ſapientiæ ſtudio deditiſſimos prouidentiam innuere voluiſſe atq; aſſerere ex ipſo nomine innoteſcit: Faceſſant Dij minores Platonici hominis

minis creatores, quos angelos quidam intellexerunt.

XXXV.

Formauit vero corpus primi hominis ille ipse Deus Opt. Max. de limo terræ, vt ait Moses, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.

XXXVI.

A quo docemur terreæ esse naturæ corpora nostra: Quod tamen ita strictè haud accipiendum fuerit fortassis, vt meram saltem terram frigidissimam & siccissimam (quæ à terendo etiam nomen habet) mistionis expertem, intelligamus, sed participem humiditatis quæ & humus inde dicta est, (& vt iam superius ostensum ab humo homo secundum plerosq;) nec sine caliditate massam. Ita vt à veritate cœlesti non discrepet doctrina sanioris Philosophiæ atq; Medicinæ, quas & ipsas à Deo fluxisse certum est, de corporum nostrorum elementis: siue Philosophus dicat: ex terra, aqua, aëre, & igne ea constare: siue Medicus, ex calido, frigido, humido, sicco, siue etiam ex sanguine, pituita, & vtraq; bile, quæ sunt propria corporum & proxima secundum Hippocratem elementa, vt alibi ostensum est.

Nam

XXXVII.

Nam & accepimus Hebraicam dictionem qua usus est Moses, Aphar scilicet, limum sonare, quomodo D. Hieronymus vertit, seu lutum: Septuaginta reddiderunt χοῦν, ita enim habet textus: χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς. id est, limum accipiens è terra.

XXXVIII.

Quanquam terræ moles & quantitas, cæteris in nobis præponderat.

XXXIX.

Et quia Mundi ex contrarijs elementis constantis similitudinem gerit homo, μικροκοσμος etiam est dictus.

XL.

Quam rursus appellationem, non ad dignitatem, sed ad molem referendam esse arbitramur, cum longe nobilior creatura sit homo mundo ipso.

XLI.

Formam porro ac speciem tribuit creator corpori humano, non quidem à cæterorum animalium

malium corporibus prorsus discrepantem, cunctis tamen præcellentem, & præstantia hominis atq; actionibus mentiq; congruentem.

XLII.

Ex ipsa enim corporis summa in omnibus produxit caput. Ex trunco vero corporis, vel, vt quidam nominarunt, vase, quatuor veluti ramos extantes: ex quibus posteriores in omnibus sunt pedes, duo autem capiti & collo propinqui, non omnibus eundem usum præbent. In pecudibus enim & feris sunt pedes hi quoq;, in volucribus sunt ala, in homine vero sunt manus, neque ad ambulandum, neq; ad volandum, sed ad faciendum operandumq; natæ, cum bipes incedat homo corpore erecto, neq; locum hic Sphyngis ænigma inueniat. Sed hæc discutienda sunt paulo diligentius.

XLIII.

Ac primum de Anaxagora dicto mihi in mentem venit, qui manus dixit esse caussam sapientiæ: quod etsi Plutarchus atq; alij commode interpretari ipsumq; excusare dum conantur, hoc eum monere voluisse censent, artes usu & experiendo parari: per se tamen æstimatum falsam

continet ſententiam, & rectè reprehenſum eſt cum ab Ariſtotele, tum à Galeno, naturæ operum perueſtigatoribus diligentiſſimis, inuertendumq; hoc plane eſt.

XLIIII.

Neq; enim ſapientiſſimum animal eſt homo, ideo, quia vnus omnium manus accepit, ſed quia ſapientiſſimum eſt, ideo conditor ei Deus manus attribuit ſapientiæ & rationis miniſtras.

XLV.

Forma vero ſeu figura corporis erecta eſt, vt diximus: quam rem ſplendide efferentes atq; ornantes nonnulli in reprehenſionem inciderunt & ipſi. Inter quos idem ille Anaxagoras interrogatus, cur natus eſſet, reſpondit: Cauſſa videndi ſolis ac cœli. Et Plato Aſtronomiæ cauſſa oculos homini eſſe datos alicubi dixit. Philo quoq; Iudæus doctiſſimus, & in Platonica Philoſophia plurimum verſatus, in hanc ſententiam ita ſcripſit: Præcipuam ac differentem à cæteris creationem ſortitus eſt homo: Nam cæterorum animantium os in terram deflexit, eoq; in terram nutant, Hominis autem econuerſo ſublimauit, vt cœlum ſuſpiceret. Et M. Tullius:

Nam

Nam cum cæteras, inquit, animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cœliq3 quasi cognitionis domicilijq3 pristini conspectum excitauit. Ouidiani vero versus hac de re vt sunt vulgatissimi, ita accuratè facti:

Os homini sublime dedit, cœlumq3 uidere
Iussit & erectos ad sidera tollere uultus.

XLVI.

Non addam his aliorum similes sententias, ac neq3 eorum, quorum his similium, sed minus considerate prolatorum verborum occasione motus Cl. Galenus præstantissimus operum natura examinator, reprehendit sua quadam ratione non iniusta, hæc, & similia omnia: Dum enim inuestigat cur solus homo rectus stet, cum cætera animalia quædam magis alia minus, attamen omnia prona sint, & modo gradiantur similimo infantibus, qui serpunt manibus. Stelliones enim & quæcunq3 breuium sunt crurum prorsus sunt prona, quorum venter attingit terram, & his magis serpentes. Equus vero, & canis, & bos, & leo, & omnia quadrupeda medium locum obtinent inter prona exactè & planè recta. Sic & aues bipedes. Solus autem homo

rectus stat, ac sedet etiam, & statum suum rectum rectè est sortitus. Nam omnes manuum in operificys actiones duabus his egent figuris. Nemo autem pronus aut supinus molitur aliquid. Neque cætera animalia similiter recta effinxit natura, quia nihil manibus elaboratura erant. Hoc inquam dum agit Galenus non placent homini sagacissimo similes superioribus sententiæ: qui & , opinari ob id rectè stare hominem, vt promtè cœlum aspiciat, & in eo glorietur, Hominum ait esse, qui nunquam uiderunt piscem. Græcè ideo dictum οὐρανόσκοπον, (qui alius est ἄγυιος, de communi sententia, & Callionymus quoq;) .i. cœli speculatorem. Hic namq; ob oculi situm vel inuitus cœlum semper aspicit. Homo autem nisi collum reflexerit retrorsum, cælum nunquam rectè viderit. Hoc vero refractum nō soli homini inest, sed & asinis & anibus longum collum habentibus, &c.

XLVII.

Sed & species hominis est in vtroq; sexu, qui inter se per voluptatis illecebras ad sobolem successiuam parandam copulantur, præteris omnibus nitidior ac pulcrior.

Quan-

Quanquam nos veram pulcritudinem aliter quam mangones æstimamus, Non enim in albedine, vel mollicie, vel id gènus alijs, per quæ non natiua, non germana, sed fucata & adulterina pulcritudo ostentatur, eam ponimus, Sed cum Hippocrate & Galeno per actiones eam exploramus & iudicamus, nihilq; esse aliud quam optimam constitutionem quæ εὐρυθμία est Græcis, censemus.

XLIX.

Quod ipsum sentit apud Xenophontem etiam Socrates: pulcritudinem constructionis particularum referens ad actionis bonitatem & virtutem.

L.

Actiones vero singularum corporis partium nunc prosequi præter institutum est nostrum, & præter vnius disputationis modum. Et memores in qua schola nunc disputemus, Medicorum atque Anatomicorum latissimos campos de considerationibus non modo actionum, sed essentiarum etiam, situum, connexionum, & societatum, magnitudinum, numeri, figurarum

& conformationum in partibus ipſis, & quæ prope modum infinita ipſi in homine perpendunt, ſtudioſe vitamus.

LI.

Alcinous Platonicus tribus contineri formam cenſuit, partium ordine, modo, & ſpecie. In ordine partium interualla poſuit, in modo quantitatem, in ſpecie lineamenta & colorem.

LII.

Et multi in quibus eſt & M. Vitruuius in umbilico ponunt centrum, & per digitorum manuum atq; pedum extremitates circulum deſcribunt: proportionesq; partium inter ſe conferentes, faciei longitudinem faciunt eius quæ totius corporis eſt partem decimam. Octo capita corporis proceritatem abſoluere inuenerunt. Manus longitudo, faciei longitudini æqualis eſſe debet, & quæ ſingula proſequi longum eſt & non neceſſarium.

LIII.

Reperias qui de corpore & corporis humani forma parum ſolliciti, Animam dicant eſſe formam

formam hominis: cum quibus non contendemus. Sed est nihilominus sua quoq; corpori forma data. Imò sunt qui corpus pro vase & receptaculo tantum hominis habeant, animum solum, hominem censentes.

LIIII.

Hinc nata illa παράδοξα: Hominem neq; tangi, neq; aspici, neq; comprehendi posse. Hinc Theopompus cum in mortario tunderetur à Tyranno, pellem, aiebat, tundi Theopompi, non Theopompum.

LV.

Sed his non relinquamus suos, & loquendi modos, & singulares sensus, simulatione & dissimulatione non carentes.

LVI.

Omnis vero vis nostra in animo & corpore sita est, vt rectè sensit, & dixit Sallustius quoq;. Sed animi imperio, corporis seruitio magis vtimur.

LVII.

Nonnulli hominis perueſtigantes quaſi partes ex quibus conſtet, corpus, animam, & ſpiritum recenſent, quem nonnulli & Genium fortaſſis nominarunt. Quod inde natum eſſe arbitramur, quod animum, quo intelligimus, immortalem, ab anima qua viuimus craſi corruptibili ſeparant & diſiungunt.

LVIII.

Et rectè ſanè: Animorum enim, vt præclarè Cicero in Conſolatione ſcripſit, nulla in terris origo inueniri poteſt, nihil enim eſt in animis miſtum atq; concretum, aut quod ex terra natum atq; fictum eſſe videatur: Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum, is enim in naturis nihil ineſt quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt: nec inuenietur vnquam vnde ad hominem venire poſſint niſi à Deo.

LIX.

Atq; hæc de Anima & Animo hic nobis ſufficiant, qui quid non ſit determinare certius poſſu-

possumus, quam quid sit effari, quanquam vsitatis in scholis & Ecclesia descriptionibus suum locum relinquimus. Huc vero accersere protritas de anima facultatibus distinctiones, non magis est necesse, quam fuisset necessarium corporis partium scrupulosam instituere enarrationem.

LX.

Restat vt in quem finem à Deo in hanc vitam productus sit homo, attexamus: Is est nimirum non modo secundum Theologiam, sed secundum sanam quoq; & rectam Philosophiam, omnium præcipuus & maximus, complectens in se cæteros subordinatos, & eos de quibus tot conscripti sunt libri probatos vniuersos: vt Deum æternum, omnipotentem, artificem & fabricatorem nostrum, atq; parentem cognoscamus, cognitum colamus & veneremur, adorantes & laudantes: Non quod is vel cultu vel laudatione nostra indigeat, beatissimus & perfectissimus in se ipso, sed quod nobis illius bonitate sit opus, & quod eius benignitate perfruamur, & in eius laudem & gloriam tendant ac finiantur vniuersa, à quo & initium sumserunt.

LXI.

Atq; ex eo ego sane ita sentio: non magis

differre hominem à cæteris animantibus, Brutis & mutis, vel ratione, vel sermone, vel numerandi noticia, vel risu, quibus sane differt multum: vel denique re ulla, de quibus varia sunt disputata & multiplicia: quam ratione religiosa, quæ & Deum agnoscit, & cultum se ei debere intelligit, eumq; præstat.

LXII.

Ex tot enim animalium generibus nullum est, vt Cicero quoq; ait, præter hominem, quod habeat noticiam aliquam Dei, ipsisq; in hominibus nulla gens est, neq; tam immansueta, neq; tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat. Et alibi: Nulla gens vnquam tam fera aut immanis fuit, inquit, cuius mentem non imbuerit Dei opinio. De quo etsi plurima more vitioso prauæ senserunt, (& adhuc sentiunt) omnes tamen esse vim & naturam diuinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum aut consensus effecit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.

LXIII.

Sed nulla est gens, nec fuit vlla vnquam, quæ

qua veram erga Deum religionem constituere, vel inuenire saltem potuerit, sine patefactione diuina. Qua iam noua est doctrina, erudiens scholam Philosophicam de eo quod ignorat, de lapsu videlicet hominis atq; instauratione, in qua post hanc vitam caducam & breui transeuntem, spem & fiduciam homo ulteriorem collocare potest.

LXIIII.

In omni enim gentilitatis religione seu Theologia, quid est, quaso, in quo fiduciam collocare possis? An non multitudo deorum fœda est & horribilis? qua ipsa diuinam præstantiam & unitatem conuellit. An non cœlum ipsum fœdissimis libidinibus refertum? Inde sapientissimi ferè quiq; & religionem ipsam & deos illos innumerabiles risui & contemtui habuerunt.

LXV.

Non ignoro quam erudita & satis sæpe commoda allegoria de istis rebus afferantur, de quibus & suis in locis interdum disserui ipse. Sed nihil ha efficiunt tale, quod rectè & perfectè homines de Deo erudiat.

In Iu-

LXVI.

In Iudaismo vero, quid est quod consoletur animos post hanc vitam? Etsi enim ostendit se Deus benignè illi populo, & per Prophetas notiorem etiam se facere voluit: Gens tamen dura ceruicis gratiam diuinam excussit, nec Christum sese exhibentem recepit, & in miserabili cœcitate adhuc uiuit.

LXVII.

In Alcorano & furoribus Mahometanis tale quid an quæras saltem? ne dicam, inuenias?

LXVIII.

Sola vero gens Christiana doctrinam cœlitus & benigne patefactam amplectens, & pura mente colens Christum θεάνθρωπον, qui Dei filius eiusdem cum patre naturæ existens ita se adiunxit humanæ naturæ atq; cum ea copulauit, vt eam ex inuiolata virgine à Spiritu sancto obumbrata induerit ipse, perq; sanguinem suum atq; carnem (in qua passus est & mortuus: resurrexit, rediit ad cœlos, sedet & regnat in gloria Dei patris) incorporauerit sibi tanquam membra vniuersos & singulos homines, fide ap-

prehen-

prehendentes ipsum, & manentes in fiducia: Sola inquam ea gens spem habet & fiduciam vitæ æternæ, solaq; Deum verum trinum & vnum agnoscit, sola recto & vero cultu, ab ipso Deo patefacto, colit, veneratur, laudat & amat in hoc Mundo quamdiu ille consistet in suo statu, & post hanc vitam seculis infinitis.

LXIX.

Eius igitur amorem, eius verum cultum & venerationem, non sine ratione amplexi, eripi nobis nec risu prophano, nec contentionibus aut calumnijs ullorum hominum patiamur: qua prævalebit contra Diabolum ipsum calumniatorum omnium parentem ac principem, & porta inferorum non prævalebunt aduersus eam.

LXX.

Ex his iam talem elicimus hominis, de quo disputatio instituta fuit, notionem.

LXXI.

Homo est animal à Deo effectum, præstans cæteris omnibus, non modo corporis perfectione ac pulcritudine, quod gerit erectum, & manibus sapientiæ ac rationis ministris singulariter

riter ornatum & auctum: Sed intelligentia quoque & mente ac rationis lumine longè cæteris præcellens, cuius præsidio numerat & ratiocinatur, solumq; quid pulcrum, quid rectum sit agnoscit: productum in hunc mundum in cum præcipue finem, vt Deum conditorem suum agnoscat, agnitum lingua ac sermonis beneficio qui ei propterea vnico obtigit, instituto cultu & religione (qua sola eminet gens Christiana diuinitus instituta) rectè colat, inuocet, ac celebret, quam diu conceditur in hac vita morti obnoxia, & quod piè credimus, in secutura sæculis infinitis.

LXXII.

Cui Deo trino, & vni, omnipotenti, iusto & misericordi, omnes, potius quàm natura, vt Plato fecit, gratias agamus, quod homines nati sumus, sempiternas, honorantes eum non modo labijs, sed toto corde, confitentes eum are, & non negantes operibus, vt impy & iniusti faciunt, & omnes illi qui religionem atq; actiones vniuersas accommodant aucupationi gloriæ tantum, & præsentis vitæ commodis, quorum Deus venter est & culina.

Quæri-

Quæritur:

I.

Quid sentiẽdum sit de finitione hominis Platonica: quá docens in schola, obiter vt videtur, dixisse fertur: eum esse animal bipes implume: Sitne illa rectè, vt vulgo existimatur, & grauiter etiam à Diogene obyciente gallum deplumatum, exagitata & derisa?

II.

Probandáne sit sententia eorum, qui accusantes naturam, collectis quibuscunq; caussis atq; argumentis ostendere conantur, eam esse homini non matrem, sed nouercam? An vero imputanda his verius & rectius insania & temeritatis vitia, atq; ingratitudinis extrema crimen? ne dicam blasphemia, qui & Deum dicent esse hominis non patrem sed vitricum.

FINIS.

Autorem commendet opus non gartis [illegible]

pons mobilis ꝛ̄ zybrich

Usibus edocto si quisq̄ credis amico

Vive tibi &c. intelligenti pauca

In bona causa tua xba sufficiunt.

19 Janu. ao 1574.
Wittebergæ.